



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Iosephi Ripamontii E Collegio Ambrosiano Historiarvm Ecclesiae Mediolanensis Decas ...

Decas Prima

Ripamonti, Giuseppe

Mediolani, 1617

Liber Nonvs.

urn:nbn:de:hbz:466:1-11209



IOSEPHI
RIPAMONTII
EX DOCTORIBVS
COLLEGII AMBROSIANI
HISTOR. ECCL. MEDIOL.
LIBER NONVS.



Onothenitæ, quod hæreticorum genus,
ex Oriente in Italiam penetrasse me-
morauimus, multum nacti virium erant;
inualescebantq. per vrbes, alibi parta
olim autoritate, & per eam mora, ali-
bi dolis, & festinatione, donec Romæ,
primò, deinde Mediolani constituta
secta staret opibus suis, nec vlla iam arte opus foret.
Grauius autem erat malum, quàm simplex illud secum
afferre potuisset nomen crederemus, quod positum in sub-
tilissima diuinarum rerum affectatione, nihil ad hominum
mores, & ad communis vitæ statum attinuisset videretur.
Sed, fuit semper occulta quædam cognatio, facilisq. trá-
situs,

situs, & breue confinium inter opinionum errores, & vite
 corruptelas, vt hæreticus vnquam fuerit nemo, quin
 idem, & flagitiosus, & nefarius, atq. ad omnia vitia proie-
 ctus foret. Ita, præter solennem illam iniuriam in Ca-
 tholica dogmata, trahebant Monothelitæ secum libidi-
 nes, & scelera, foedamq. colluuiem omnium rerum.
 Patres, remedijs excogitandis, & hæresi damnandæ pas-
 sim habuere concilia, vt quæq. vrbs, eo malo plurimum
 laboraret. Cæterorum acta Conciliorum periere, Me-
 diolanensis manent sub nomine Mansueti Archiepisco-
 pi, quem ad actionem eam suscipiendam insignis actio
 Constantini Pogonati Imperatoris excitauit. Is Impera-
 torio nomini ratus esse gloriosum, hæresim abolere Mono-
 theletanam, scripserat antea Romam ad Donum Pon-
 tificem Maximum, sibi esse in animo, tollere Monothelitas,
 in eam rem conuocare Patres, vnam eam sanandæ pestis
 apparere rationem, & viam. Proinde, petere ab ipso, vt
 legatos mittat, qui Pötificia intersint autoritate cõuen-
 tui, eaq. dignationem, & firmamentum addant rebus. Na-
 ues, & necessaria trajciendo pelago benignè præbitum
 iri ab Exarcho, non solum autem legatis, sed prætereà
 omnibus, quicunq. Concilium obire illud voluerint. Et
 debere quamplurimos, cum sit eiusmodi res, quæ totius
 Ecclesiæ statum, & incolumitatem attingat. Hæc ab
 Imperatore scripta, facile mouerāt Pontificem, vt actio-
 nem eam tota mente complecteretur, atq. vt omnibus,
 & clarissimo cuiq. author esset eundi. Sed ante est mor-
 tuus; quàm eius negotij partem vllam capesseret. Aga-
 to successit haud minore animo, & sollicitudine. Is ini-
 tio Pontificatus excitos Romam Patres, & monitos,
 quantum

quantum Catholicæ rei discrimen ageretur, ita commo-
 uit, vti ad Constantinopolitanam illam profectionem
 summa voluntate omneis accingeretur. Pauci, quibus ire
 non ita vtile, ac expeditum foret, comunicatis inter se cõ-
 silijs, atq. suis momētis examinata causa, sententiã quisq.
 suam testato descriptam pro se Constantinopolim trans-
 misere. Mansuetus Archiepiscopus Mediolanensis inter
 eos, quanto magis emereret nominis ac loci dignitate,
 tanto plus sibi prouidendum ratus, vt ea scriberet, quæ
 non sententiæ, sed decreti auctoritatem, & pondus ha-
 berent; conuentum Episcoporum Mediolani habuit se-
 paratim, & diligenter agitato negotio, decretum fecit, quo
 duas Christi naturas, & voluntates inter Catholicæ fidei
 capita sanciret, ac firmaret. Inde cum Episcopis iisdem ex
 cõdicto Romam est profectus, cumq. Decreti sententiam in
 Lateranensi conuentu exposuisset, ea sententia transmis-
 sa Constantinopolim est, & in acta Concilij, sicut in hunc
 diem extat, relata. Patrum nomina, qui Romam iere cum
 Mansueto scripta, hoc ordine in actis extant. Mansuetus
 Episcopus Sanctæ Mediolanensis Ecclesiæ. Ioannes Epi-
 scopus Ecclesiæ Bergomatis. Donatus Laudensis. Ana-
 stasius Ticinensis. Valentinus Aquensis. Desiderius Cre-
 monensis. Gratianus Nouariensis. Desiderius Eporedien-
 sis. Ioannes Genuensis. Audacis Derthonensis. Bene-
 natus Astensis. Benedictus Valuentis. Bonus Albigau-
 nensis. Theodorus Vercellensis. Rusticus Taurinatis.
 Ioannes Intimiliensis. Cæterum, neq. Constantinopolim
 iuit Mansuetus, neq. verò potuit ire, cum non essent ex
 domi res, quas absq. præside ac rectore permitti casibus,
 & temporum licentiæ tutum foret. Iuisse autem inde
 non-

nonnulli sunt opinati, quod perscriptam illius auctoritatem viderint inter eorum sententias, qui presentis adfuere. Nec in eo tantum aberrare à vero sententiæ huius auctores, sed etiam in eo, quod Mediolanense Concilium Romano Concilio fuisse posterius, neq. consultando, quid statuerent, sed stabiliendo quod statutum foret, habitum credidere. Nos, & consentanea veris, & grauissimo cuique tradita sumus amplexi. Mansuetus inde, suo, & prouincialium Episcoporum nomine, litteras dedit ad Constantinum Imperatorem, quarum sententia fuit huiusmodi. Aequasse ipsum veterum Imperatorum gloriam, qui aduersus hæreticos, non secus, atque in hostes, pro Catholica Fide gerat bella, patribusque congregatis ad labefactandas eorum opiniones, purgandamq. monstris Ecclesiam conferat imperij vires. Precari Deum omnes, vt digna talibus factis præmia persoluat, vindici Catholicæ veritatis, Christiani Orbis liberatori. Pergeret modò; calumniatoribus obuiam iret, neq. præberet vnquam aures istis, qui simplicissimam fidei formulam inuoluere, ac obscurare concertatione verborum conarentur. Quid inueniri posse simplicius Symbolo? ibi voluminum omnium summam, & arcana omnia religionis esse comprehensa. Repeteret Imperator veteris Christianæ memoriæ recordatione, & primordia salutis humanæ. Quosnam affuisse primis Ecclesiæ rebus, & fanciendæ fidei, nisi linguæ rudis homines assuetosq. piscatui, quos Deus consiliorum suorum voluerit esse participes, & dominos rerum, & arbitros ligandi, ac soluendi. Horum Apostolica instituta deprauantes acumine suo, nihilo magis audiendos esse, quàm deplo-

deploratæ mentis homines audiuntur. Haberent sua ipsi secû deliramenta, quæ scilicet ignibus ad extremum æternis essent luenda. Quod ad Christi naturam, & voluntatem attineret, congregatos in Concilio Mediolanensi patres, ita rem constituisse, atq. ita professos esse conceptis verbis. **VT DVÆ IN CHRISTO FVERINT NATVRÆ, DIVINA NIMIRVM, ET HVMANA, SIC DVAS QVOQVE AGNOSCI OPORTERE VOLVNTATÈS, ET OPERATIONES, QVARVM ALTERA DIVINAM NATVRAM, HVMANAM ALTERA CONSEQUATVR.** Scripsit has litteras nomine Mansueti Damianus Episcopus Ticini, ingens vt postea demonstrabitur, argumentum ad proferendam illuc Ecclesiæ Mediolanensis auctoritatem. Insequenti anno, qui fuit humanæ salutis **1521**. Romæ pestilentia est exorta, quæ magna cum strage hominum, ac iumentorum in Insubriam manavit, estq. præcipuè Ticinum Urbem, inde Mediolanum depopulara. Aufugère ciues in montium cacumina, nullo cælestis iræ declinamento, & quascunq. peterent latebras, inueniente miseros tabe. ciuitas ipsa ab incolis deserta, prope agrestem induit faciem eliciente solitudine gramina per vias perque domos. Ea celeberrimæ quondam vrbis vastitas erat. Tunc missa de cælo vox, quæ Diuo Sebastiano Martyri Romæ in æde D. Petri, cui á vinculis est cognomen, poni aram iuberet, eum pesti finem fore. Ara posita, cælestis promissi constitit fides, mansitq; inde votiua, ergà Sebastianum religio, quotiescunq; id calamitatis incideret. Addunt alij ea in peste referenda triste dictu pariter, & auditu,

ditu; quippe vivos eo tempore tota erranteis vrbe faunos, qui foribus domorum, quam tenerent hastam incutientes, totidem inde capita destinarent morti, quoties ictibus repetitis funestam illam ianuam pepulissent. Ego hæc, & pleraq., vel inter oculorum ludibria, vel cōmēta vanitatis, vel humani metus imagines potius retulerim, nec tamen credendo quicquā obstat. Eius pestilentiaē tempore Ioannes Episcopus Bergomensium est mortuus, cui ob nauatam operam Archiepiscopo nostro, dandum putavi, ne pro externo, & alieno ipsum transirem. Cuniperti Regis animum hic fortè aliquando iuueniliter lasciuientem offenderat, cū eam licentiam eaq. vitia liberius increpuisset. Ille seuera monita ludibrio vltum ijt. Dissimulata in præsens offensione gratias insuper agit, & per officij speciem offert digredienti sternacem equum, qui multis iam fuerat exitio, neq. dubium habebatur, quin rudem fessorem illicò nō sine adstantium irrisu pessundaturus esset. Sed longè aliter euenit, estq. iumenti ferocia repente māsuefacta diuinitus. Simul ipsius proteruia Regis versa est in admirationem, & Episcopum deinde illum quandiu vixit coluit in parentis loco. Sed non diu post casum illum superstes fuit. Eodem ferè tempore Mansuetus est mortuus, atque ita duo clarissimi viri continuatis propè funeribus Ecclesiam vtrāq. vacuam reliquēre. Mansuetū Sauellum Benedictus Crispus excepit, qui Pontificatus initio, cū indignum arbitraretur, inter tanta damna, quanta perturbatione temporum essent accepta, Mediolanensem Ecclesiam insuper spoliari suo iure, nec retinere iam ea, quæ antiquitus obtinuisset; Romam ad
ple-

pleraq. repetenda, & vindicanda est profectus. Ante omnia sollicitabat animum, Ticinensis Ecclesia subtrahata iurisdictioni, quæ nisi tanto conatu vindicaretur, quanto semper vrbs illius Pontifices contra steterissent, magnopere putaret esse timendum, ne ceteri deinceps vrbiu aliarum Episcopi, inuitante libertatis dulcedine, stimulante exemplo, vellent sese subtrahere Metropolitæ, paremque propriæ, ac separata sedis conditionem tentarent. Itaque profectus Romam egit cum Pontifice Maximo, vti Ticinensis restitueretur in Metropolim, cui fuissent olim contributi maiores ipsius; simul proferebat litteras, & monumenta, quibus actio tota contineretur. Rei tamen exitum habuit infelicem, victorque certamine illo Ticinensis fuit, siue maiore tetenderit gratia, siue iuris imagines, & ea, quæ semel placuissent, fuerint pro fixo iure, ac æterno. Namque satis constabat iam inde ab anno centesimo quadragesimo quinto, qui Longobardi Regni fuerat primus, id vrsurpasse Ticinenses Episcopos, ac tenuisse, vt penderent ex vnus Romani Pontificis auctoritate, & nutu; novos Reges, cum in ea vrbe sedem fixissent, honestasse Regiam hoc priuilegio, vt Ecclesia sui iuris foret. Ea fortasse res debuit causam adiudicasse Ticinensi. Cæterum, & Ambrosius olim dederat Episcopum vrbi, & Protasius Epiphanium consecrarat, manebatque consuetudo, vt quandocumq. Mediolani Prouinciale Concilium haberetur, obiret id Concilium, vnà cum cæteris, Episcopus quoque Ticinensis, sicuti proximè Damianus obierat, fueratque scriba litterarum insuper ad Imperatorè, vt memorauit. Locus hic monet, vt statum, & antiqua iura Metropoleos exponam, ingenti laboris

merito, si poterunt olim Pontifices nostri petere hinc vincula in rebelles Ecclesias, in desertores Episcopos, cuiusmodi semper casus in mira hominum, atq. rerum varietate contingunt. Neq. repetam antiqua, & exoleta, quæ postquam ex hoc corpore semel exciderunt, inueterauere separatim, ac fabulosa propè circa ea videri possit narratio; Sed, quæ vel à primo Barnabæ aduentu, seruant obsequiâ, agnoscunt caput, & suos quasi recolunt hinc natales; vel auulsa, & subtracta varijs hominum studijs, vltro iactant hæc primordia sui, & quod fuerint aliquando sub hoc capite, gloriæ partem ducunt. Hæc censura peragetur explicando veterum Archiepiscoporum viritum actiones, & actionibus confirmata iura, quam summam esse authoritatem, & fidem puto. Atq. ab Apostoli quidem aduentu, ad vsq. Constantij Cæsaris ætatem, admodum obscura est huiusmodi actionum memoria, vel angustis, & afflictis interim Ecclesiæ rebus, vel rerum ipsarum obliuione, ac silentio. Tantum constat, Derthonensi populo datum ab Calimero Pontificem in illa temporum nocte, hunc fuisse Marcianum, eo defuncto, Maternum, cum ad inspiciendas eius Ecclesiæ res venisset, suffecisse Maliodorum. Cætera sunt tenebræ, donec Arianae sectæ mala vehementius Ecclesiam concussere, quàm vt memoria tristis aboleri posset. Dû enim Ariani corrupto in suas partes Imperatore, facere sui iuris Ecclesiam tentant, conuenere Mediolanum Episcopi prouinciales, cuius acta Concilij, Dionysio Archiepiscopo primi loci dignitatum, atq. summum in suos imperium affirmant. Non multo post secuta flagitia, Iouiniani, Metroplitanum hoc imperium nobilitauere. Tollebat

lebat ille Virginitatem summū decus humani corporis, animiq. tollebat ieiunia virginitatis instrumentum, ea ui, & pertinacia, & obstinato in tantum impetu, vt Apostolica fuerit potestate coercendus. Itaq. cū à Siricio Pontifice Maximo condemnatus fuisset, damnationis eius litteræ missę Mediolanum ad Ambrosium, eiq. subiectos Episcopos, vt ad tollendam e suis finibus hæresim excubarent. Respondet Ambrosius, Episcopi subscribunt, inter alios, Euentius Ticinensis, Bassianus Laudensis, Sabinus Placentinus, Felix Comensis, Octodurensis Arausicanus, Tudertinus ex Illyride, Geminianus Mutinensis. Hanc nobis memoriæ lucem præferunt hæretica monstra; mox etiam inter Catholicos ortæ contentiones illustant Metropolim Ambrosianam, quasi clarescere nō nisi inter turbas posset. Amisso Limesio carebant fortè pastore Vercellenses, cumq. temporum illorum esset consuetudo, nominari quidem Episcopum à ciuibus, Archiepiscopum verò fieri nominationis auctorem; diuisa ciuitas in factiones cunctabatur, & fraudi ac dedecori Vercellensibus erat ambitio. Ea pertæsus Ambrosius animo in prouinciam paterno scribit illuc; quin moras abrumperēt inutiles Episcopumq. nominarent? Non sic cæteras Liguria, vel Aemyliæ, Venetiarumq. ciuitates; eas priuata studia publicis utilitatibus in Episcoporum electione post habentes, alta frui pace, sibiq. modestiam illam esse voluptati, cū interim ab Vercellarum tantū vrbe turbulentæ res afferantur. Id caput Ambrosij litterarum haud obscure designat Ecclesiæ Mediolanensis fines; neq. enim ita scriberet ille, de ciuitatibus illis, nisi forent inter subiectas.

etas. Ecclesiam certe Veronensem Ambrosio paruiffe,
 monumento est Indicię sacratę Virginis casus, quę,
 cüm amœniore viueret cultu, quàm exposito ser-
 monibus atque oculis omnium decori tutum esset,
 præbuerat forte suspicionem, quasi violatis legi-
 bus, in quas iurasset, experta foret virum. Damnarat
 statim eam Episcopus Veronensis, & ipsa Mediolanum
 ad Metropolitanam Ambrosium prouocauit, qui probe co-
 gnita causa iudicauit infontem. Neq. ambigitur de Bo-
 noniensi, quippe cüm etiam vrbs eius pueros, & puellas
 Mediolani aleret Ambrosius, atq. disciplinę suę insti-
 tutis erudiret. Forum Cornelij, siue Imolam urbem
 commendat idem Episcopo Fauentino, donec ei pro-
 prius Episcopus detur; postea ipsam & alias Aemylię
 ciuites Valentinianus III. contribuit Ecclesię Rauenna-
 tensi, cüm nobis infensior pietatē ac religionem illuc suā
 transtulisset. Non dissimilis apparet in Ticinenses cura,
 quibus & respōsa diuini iuris Ambrosius, & initiatos à se
 presbyteros dedit. In ipsius Ambrosij libris, in publicis
 quoq. monumentis extant harum rerum testimonia, nec
 pauca, nec obscura. Sed nusquam alibi quàm in Euse-
 bij litteris ad Leonem descripti certius ac notati prouin-
 cię fines reperiuntur. Cüm enim ad Pontificem illum,
 hæresim damnans Eutyrianam scriberet, subscripsere
 Prouinciales, addito nomine vrbs & Ecclesię, quam tūc
 eorum quisq. regebat. Nomina autem hæc manent.
 Eusebius Episcopus Ecclesię Mediolanensis. Fauentius
 Episcopus Rhegiensis. Maiorianus Placentiæ. Cypria-
 nus Brixillensis. Quintinus Derthonensis. Crispinus
 Ticinensis. Maximus Taurinatis. Floreius pro Eulogio
 Ipō-

Iporiensi. Gradus pro Episcopo Augustano. Cyriacus
Laudensis. Abundantius Comensis, suo & Afimonis Cu-
riensis nomine. Paschasius Genuensis. Pastor Altenfis.
Simplicius Nouariensis. Ioannes Cremonensis. Octa-
uianus Brixianę. Iustinianus Vercellensis. Quintinus
Albigaunensis. Præstantius Bergomatis. His finibus,
Eusebij tēpore patebat Metropolis Ambrosiana, latiusq.
porro patebat etiam quàm illa significant Pontificum &
Ecclesiarum nomina. Non enim omnes adfuerunt scri-
bendo. Ticinensis causa nos ab instituto temporum or-
dine longius abduxit, cuius exitum, neq. illi qui tunc
erant homines probauerunt, neq. nostri nunc probant,
venerandę scilicet antiquitatis cura, cui fieri putant in-
iuriam, si primę illa Metropolitanici iuris descriptio, atq.
iam inde ab Apostolicis ducta temporibus autoritas,
nouis hominum studijs imminuatur, aut immutetur.
Nam, quod Regiam ibi sedem, & ab Longobardo con-
cessa priuilegia memorent Ticinenses; neq. barbaris Re-
gibus in rem Ecclesiasticam fuisse quicquam iuris; &
amisisse posteriorum ira, quę indulserant priores. Ita
multorum offenduntur animi; nec ipsi satis inter se Pon-
tifices vnquam coluere, dum Archiepiscopus quidem
imminuti sui iuris damna, & calamitatem abruptę vr-
bis à capite tacitus indignatur; Episcopum verò
anxium suspitione, metu suspensum tenent ipsa victoria,
& possessio, rursus memoria veteris obsequij, conscien-
tia defectionis. Sunt tamen, & sua Ticinensibus firma-
menta. Placita semel, & concessione Pontificum aut
regum instituta, non amplius debere mutari. Quicunq.
Mediolanensibus Concilijs interfuerint, vrbs eius Epi-
sco-

scopi, non vti subiectos atq. prouinciales, sed vti confidarios, & amicos interfuisse, item alia multa, quæ tædiosis omittens, ad Benedicti Pontificatum redeo. Post priuatam illam cum Episcopo Ticinensi contentionem cum Mediolanum ipse reuertisset, noua mox orta contentio communis Ecclesie toti, Romam iterum eum exiit. Monachus erat quidam, Ioannes nomine, vaticinia venditans, & ea vanitate famam adeptus. Hic vti sese ad Philippici Imperatoris aures & amicitiam insinuauit, utq. leue hominis ingenium, & inania studia per eam consuetudinem est odoratus, institit ei suadere, ut decreta patrum de duplici natura & voluntate Christi rescinderet penitus, eaq. monumenta, & libros aboleret igni. Si faceret, imperij diurnitatem, longa vite spatia, & quæ alia sunt vota principum virorum, diuino spondet nomine, nec aliter ventura ea minatur. Hisce Philippicus instinctus furis, Sacramento etiam adactus & Monacho instigatore præeunte verba, ni faceret, iratum sibi Deum, & aduersa omnia præpostero carmine miser precatus, orditur scelera, VI. Concilij tollit atq. damnat authoritatem, & in omnia quæcunq. seditiosus ille Monachus destinaret, facilem sese ac paratum præbet. Nec ille segnis ad occasiones, postquam prima successerant, vltiora molitur, docet, expressas coloribus, fictas aere, vel marmore, vel gypso, vel arte alia, qualibet expressas mortalibus materijs celestium imagines, nihil aliud esse, quam iniurias, & ludibria beatarum mentium; ad religionem vniuersam euertendam rem eam haud dubie pertinere. Proinde occurrat ei quoq. malo bonus Imperator, & quando Numen ipsum ab nefario

vin-

vindicare potuerit dogmate, pergat non sana religio-
ne mortaleis ipsos exsoluere, eamq. cœlestium nomini
contumeliam atq. probrum demat; id scilicet impera-
toria maiestate dignum, eum gloriæ cumulum fore.
Hisce perditissimi hominis commentis, & hac ratione
Philippico Cæsari persuasum est, vti sacrarum imaginū
vsum atq. consuetudinem omnem abolere penitus co-
naretur. Sacrilegio initium fuit illa ipsa pictura, quæ
VI. Concilij acta confessumq. representabat. Deleta
omnis, albusq. colos inductus parieti, & augustas illas
patrum imagines obscurauere tectorio, quibus man-
datum erat. Pro eo temerario incœpto sacrilegoq. co-
nato, non secus atq. profligata qua piam hæresi, victisq.
catholicæ fidei perduellibus, missa Romam ad Pontifi-
cem est legatio, quæ fieri rei totius authorem ipsum po-
stularet, ac etiam de admittendo in totam Ecclesiam
exemplo auderet efflagitare. Dicitur inhorruisse Pon-
tifex Maximus ad ea postulata, vindicem Ecclesiæ Ca-
tholicæ Deum inuocasse, vt eam ab improborum pe-
titione, atq. ab extremi furoris conatu fartam tectam
incolumemq. seruaret. Mox excitum Mediolano Bene-
dictum, & ex alijs vrbibus alios, quibus ob rerum vsum,
& morum innocentiam plurimum fidebat, docet, quo in
discrimine Resp. versetur, & quod quisq. præsentissimum
esse remedium putet, id promât. Id Concilium magni
nominis fuit, quo Iconoclastarum est deleta secta, sa-
crarumq. imaginum honos vindicatus. Benedictus Cri-
spus, treis, & quadraginta annos præfuit Ecclesiæ Medio-
lanensi. Sergius eum admiratione virtutis in ea vigilia
collocarat. Extruxit Diuo Benedicto templum illud;

Bbbb

quod

quod parœciæ nomine abolito, & aliò contributa vicinitate, nostra memoria Diuus Carolus attribuit mulierũ cœtui, quæ ab impuro quæstu in religionis ac pudicitia claustra sese conferrent. Id nunc ab re ipsa, quòd parata ibi sint alimenta paupertati ac pœnitentiæ, subsidiũ appellatur. Benedictus ipse in martirum ephemeride siue diario Sanctus perhibetur. Extat nobile carmen ipsius Romæ in Basilica Diui Petri, quo Regem Anglię laudauit Baptismi causa profectum Romam, & statim ab ipso mysterio defunctum vita. Post Benedictum, Theodorus alter præest Ecclesiæ Mediolanensi, peritia sacrarum rerum, & ritualis disciplinæ primus æui. Gregorius Pontifex eum admouit Ecclesiæ rebus tum commendatione laudis eius, tum cætera commotus virtute ac innocentia, qua Dei vere munus esse, sicuti Græca vox affirmaret, vulgò omneis eum prædicabant. Eo rem Ambrosianam obtinente, venit Mediolanum ex Germania vir inclytæ sanctitatis Bonifacius, qui tractus illos Apostolico more concionabundus magno cum animorum fructu peragrarat, ibiq. fungebatur Episcopi munere. Venit autem, vt antiquissimarum religionum loca viferet ac veneraretur, quorum fama duæ clarissimæ Longobardici nominis vrbes, Mediolanum, & Ticinũ per ea tempora insignes erant. Accepit venientem Theodorus, & omnia quę fuerant munera caritatis & hospitij, ijs ipse peregrinum est profectus. Vniuersa quoq. ciuitas ad magni viri nomen & famam est commota; clarissimi, & opulentissimi quiq. quibus aliqua, vel cura salutis suæ, vel aliene virtutis admiratio, frequenteis ad hospitem ibant, celebrabantq. deducendo, & comitan-

do,

do, & consulendo de rebus diuinis & futura vita. Ea primo statim aduentu de ipsius apud Deum gratia & sanctitate increbuerat fama, ea erat autoritas viro. Dedere quin etiam abeunti de sanctorum reliquijs celeberrima & potissima quæq. veluti pretium hospitij quo terram Italiam ille esset dignatus, & xenia quæ regum opes æquarent. Haud multo postea quàm Bonifacius in patriam remigrarat, urbemq. suo mœstam discessu reliquerat, pars publici mœroris fuit, quòd Luitprandus, pietate ac religione nulli priorum Regum secundus extinguitur. Id accidit anno septingentesimo quadragesimo quarto salutis humanæ, meritoq. Regis huius obitum Catholica res inter præcipua damna, & clades numerauit. Extant opulentie regalis monumenta, queis ille per omne regni tempus urbem Mediolanum, exornauit, haud dispari per totam prouinciam liberalitate. Olonæ Anastasio martiri templum, & Monachorum ordo; In Bardonij montis vertice nobile item Monasterium, aliæ alibi, tum sacratæ ædes, tum ædibus tuendis piorum hominum societates ipsius opibus & munificentia constitutæ, in quibus utiq. apparet, Longobardorum genti, post accepta christiana sacra primam fuisse rerum Ecclesiasticarum curam. Sed neq. regis huius, neq. aliud eorum temporum opus ego antetulerim tumulo, quem ille condendis D. Augustini reliquijs extruxit. Rarum id atq. uisendum opus est Ticini, in D. Petri æde, cui ab aureo cælo nobile cognomen manet. Statuas, & marmor, & artificium atq. descriptionem vniuersam vix magnificentia horum temporum æquarit, meritoq. propter ea monumeta uisitur urbs Ticinum.

Bbbb 2 cinum.

cinū . Augustini reliquiæ, vt repertæ, vt in Italiã fuerint deuectæ Regis huius cura, memorari altius oportet, quia cuius Ecclesiæ nostræ fuit Augustinus, tanto illustriori natalium iure, quanto maius feliciusq. est in æternæ vitæ iura & spem renasci, quàm in mortalitatis ærumnas, & incommoda natum fuisse . Postquam, Augustinus, vt in loco narraui, discesserat Mediolano, redieratq. Catholicæ fidei propugnator acerrimus in eam patriam, ex qua dirus eiusdem hostis fuerat profectus; euexerant eum spectata virtus & doctrina, fauorq. popularium ad Pontificatum Hipponensis Ecclesiæ, trepidantibus admodum illis, qui nouerant olim sectæ suę robur, & gloriam, & expectatione tacita, par inde sibi subsidium pollicebantur . In eo Pontificatu, sancita suorum disciplina mirificis institutis, editis voluminibus, quę sunt hodie Catholicę religionis firmamenta, ordine etiam instituto, qui, per totum terrarum orbem, familias, & Ecclesię columina diffudit; expleta demum mortalitate, in Basilica D. Stephani, quanta par fuerat omnium mœstitia, & celebritate fuerat sepultus . Id acciderat anno salutis ccccxxx. Post sextum inde quinquagesimum annum, cùm Vandali armis Africam depopularentur, atq. diriperent omnia furore suo, Catholici aliquot Episcopi, metu, ne ceteram inter stragem, sacrum id quoque pignus violaretur, secum in Sardiniam abstulere, fuitq. ibi per ducentos, & viginti tres annos, nulla cuiusquam iniuria, donec in eam quoq. terram effusa barbaries auderet solita sibi, sacrumq. tumulum hoc tēpore dehonestaret indignis modis . Commouerat ea res Luitprandi Regis animum, ob inclitum Augustini nomē,
& ob

& ob alterã hanc illius patriam, in qua, per Baptismi Sa-
cramentum ad Ecclesiam olim adiunctus, ornatu co-
decore res Italas, ipseque summum ornamentum inuene-
rat, quod inde domum auferret. Itaque deligit idoneos
viros familiares suos, qui cum ingenti pondere auri bar-
baros adeant, eoque pretio redemptas reliquias abspor-
tent. Non fuit difficile negotium, quia barbaro vilia ce-
litum nomina, pecunię fames erat. Ita legati quod resi-
duum ex Augustini corpore fecerant sæcula, secum in
nauim imponunt, & postquam Genuam adpulere, præ-
mittunt ad Regem e suo comitatu, qui nuntient, rem
gestam esse feliciter, incolumesque reliquias afferri. Læ-
tus eo nuntio Liutprandus, magis utique quàm si aperto
in noua maria & terras aditu, nauigia propinquarent
onusta gemmis & auro, procedit obuiam comitante no-
bilitate. Vbi peruentum est Genuam ad eam stationem,
in qua naus cum cælesti substiterat onere, detractis Re-
gię fortunę insignibus ac nudato capite Liutprandus re-
uerenter sacrũ feretrum accedit, imprimit oscula, fundit
preces, eratque circumfusę multitudini non minus gratũ
spectaculum ipse, quàm arca; miraque deinde res accidit.
In finibus agri Derthonensis, locus est, quem Sauinaria-
num dicunt. Eò cum delatum esset Augustini corpus
diei vnus itinere non sine magnifica pompa, Rex ipse
cum proceribus, nocte, quę infecuta est, ad custodiam
excubauit. Postero die, cum tollere vellent arcam ac-
cederentque succollaturi, non poterant vlllo modo eam
dimouere, tentant, moliuntur vi maiore machinis etiã
admotis; arca tamen immota persistabat. Non dubi-
tauere, quin miraculum, & diuina vis, & irę aliquę cæ-
lestes

lestes essent. Trepidant, hærent, lacrimantur; atq. Rex in primis ipse Liutprandus inuisum se superis, auersari suam pietatem Augustinum arbitrabatur, vimq. lacrimarum profundeabat. Gratianus Episcopus Nouariensis erat in eo comitatu vir inclitæ sanctitatis & doctri-
 Is hortatur Regem, vt exposcat precibus opem diuinã, addat vota; non dubitare se, quin, vis diuina vel vicifcatur sic aliquid piaculi quod repenre fuerit contractũ, vel certe aliquid velit. Nuncupat rex votum; si moueri loco possint reliquiæ, se prædium illud Sauiuariense facturum Ecclesiastici iuris, statimq. leuem tollentes arcam adsportauere Ticinum. Ea Liutprandi pietas fuit. Magna fuerat huic Regi Luitprando cum Dandolino inclitæ sanctitatis homine familiaritas & consuetudo, sic, vti, & participem consiliorum, & Regni penè arbitrum, & vitæ totius moderatorem illum haberet. Dandolinus in agro Ticinensi (Foro nomen est) collocato tuguriolo, solitariam, & ab hominum commercio femotam vitam egit, præfagio futurarum rerum, & nusquam falsa prædictione penè in miraculum euctus, eaq. fama Regi expetitus ad familiaritatem. Sed ille postquam responsa consulenti edidisset Anachoretica breuitate, recolligebat in suam solitudinem sese, neq. vnquam abduci potuit ab eo vitæ genere, quod semel adamasset. In ipsa tamen solitudine patrauit mira dictu, quæ videlicet, ab ipso premi non potuere, quominus in famam & sermonem venirent. Inopia cibi repente confusus, cùm hospiti apponere nihil posset, spargit semina, & sapidissima olera confestim euirescunt. Iacto in flumen palliolo transmisit profundi gurgitis flumen.

Arces

Arces ad manum veniebant, cerua etiam aliquando iussa ferre ac tradere panes esurienti cuidam, cum fide curaq. defuncta est eo ministerio; multa q. porro alia de hoc caelesti homine memorantur ad eandem formam. Nos & ipsum & pauca hæc memorauimus, vt nostri Regis amico suus honos constaret, simul operæ erat tollere varietatem ex historia, siue potius manifestum errorem, quo parentem eum & authorem Humiliatorum ordinis turpissime confundentes tempora quidam scripsere. Is enim ordo felicibus initijs miserabilem ætate nostra finem nactus multò post ipsius Dandolini ætatem cœpit, nosq. suis locis, tum originem ipsam, tum tragici sceleris exemplum, quo excidium meruere, narraturi sumus. Cæterùm Theodorus, cuius in pontificatum incidit Dandolinus, quartodecimo anno postquam Mediolanensem Ecclesiam occepisset, excessit vita. Sepultus est in æde Monasterij, cui Orona nomen. Sic ipse mandarat, nimirum tribuens id sororis memoriæ, quæ templum illud cum ædificasset aere suo nomen etiam dederat Orona ipsa dicta. Sequuntur breuis æui Pontifices, Natalis, Afifredus, & Stabilis, ab Zacharia Pontifice Maximo deinceps creati, neq. curæ suæ biennium egressi, Afifredus etiam octauum intra mensem ereptus. Angustus vitæ terminos præ obscuritas rerum comitatur, nec ferme præter tumulos & supremæ quietis sedem aliam horum nomini memoriam annales perhibuere. Natalis in Eustorgiana Basilica est situs, quam ipsam aut à fundamentis erexit, aut profano veterum cultu dicatam Soli, expiauit, atq. transtulit in Martiris illius nomen & religionem. Variat namq. circa hoc memoria, & Canonorum

nicorum tamen utiq. ordinem atq. Collegium ipsius esse opus constat. Alifredus in D. Nazarij, Stabilis in D. Ambrosij, quas sibi ad sepulturam destinauerant Basilicas, ossa, & mortales exsuuias in hunc diem habent. Hęc tam obscura Pontificum ætas duabus alioqui maximis rebus insignis fuit, quę licet ad vniuersam Ecclesiã potius attinuere, rem tamen Ambrosianam attingunt haud minus quàm si propria ipsius forent. Rachis post Liutprandum imperium tenuerat ingenio, & mente in ipsum haud dissimili, si pietas & religio principis vtriusq. compararetur. Mox anteire ipsum voluit quem sibi ad imitationem sumpserat. Quippe abdicata regalis opulentię sede totoq. magnę illius fortunę cultu, ex D. Benedicti disciplina & institutis præoptauit exigere reliquã ætatem, & confestim in illa sese claustra contulit obstupescente luxu. Aemulata maritum vxor idem fecit, nec filij degenerauere. Ita Regia in monasterium concessit vniuersa, & vidit illa ætas rafa capita quæ stemmate, vel enicuerant, vel erant inibi, vt propediem emicarent. Id miraculum eaque rara species obiecta est vrbi Mediolano, atque coniectare inde licet, sub tam pio Rege, quàm prosperas esse Ecclesię res oportuerit. Sed paullo post maiore Astulphi successoris rabie ac sæuitia conflictati sumus, quàm quanta Rachis fuerat pietas & mansuetudo. Ille super ceteram immanitatem, Stephano sacrorum principi machinari necem institit, & pessimum ac horribile facinus eo tempore patratum foret, ni Pipinus Gallię Rex armis & auctoritate sua Christi Vicarium exemisset imminenti periculo paratisq. dolis. Intactum & inuiolatum abduxit

ex

ex vrbe Roma secum in Galliam, & venêre Mediolanum ex itinere, neq. finis honorum & gratulationis cum qua Mediolanenses profugum Pontificem, & vindicem Gallû accepêre. Lætus erat è nostra nobilitate Marcellinus cognomento vir grauis & peritus aulæ principumq. consuetudinis, nec ea pars morum, sicuti fermè solet, longe solidius atq. maius humani animi ornamentum pietatē ac religionem minuebat. Hunc virum Ecclesiæ Mediolanensis proceres prosequi Romanum Pontificem iussere veluti ferentem sua legatione, & comitatu publica studia, & fauorem. Ea res Læto noui honoris causa & initium fuit. Namq. cùm pace conciliata, Stephanus ipse rediisset Romam, atque sub id ferme tempus, Mediolanensem Ecclesiam vacuum esse contigisset, non habuit quem illo viro potiozem arbitraretur. Ita Lætus Archiepiscopus creatur. Annales nostri Beatum vocant, eaq. fide Basilica Ambrosiana reliquias tuetur. Læto Pontificatum Ambrosianum obtinente, datam Pipino Regi, & Pontifici Stephano fidem cùm fefellisset Astulphus, magna damna, magnæq. calamitates Ecclesiæ rebus incessêre. Siquidem expilator atq. sacrilegus rapere in fiscû ex occasione, tum priuata clericorum vectigalia, tum ipsamet subsidia, quibus Pontificia dignitas niteretur; priuilegia, immunitates, iura, & imperia terrarum, quæ post varia certamina, post tot casus manebant, asserere sibi ac vindicare, nudumq. penè Pontificatum redigere in paupertatem pudendam, & in Apostolica tempora, quibus Ecclesia par iam esse haud posset. Auxilium iterum fuit ex Pipino, qui ducto in Italiam exercitu, damno malisq. subegit Astulphum, vti cederet iniusta posses-

Cccc fione,

sione, atq. vt æquis æstimationibus illata damna compensaret. Haud deinde multò post exoneravit Italiam fera morte, Pipinique eiusdem armis, Longobardorum vltimus, Desiderius nomine, Regnum adipiscitur. Is principio rerum actionumque suarum, cùm vniuersam Ecclesiam eximia liberalitate fouisset, struxisset magnifica templa, varijs Insubiæ locis, atq. spem fecisset, nemini priorum Regum secundum fore constantia, & fide; mox in ipsius Astulphi sacrilegos mores abiit, & illius teterrimi hominis equauit furorem; circumferens arma per totam Italiam, Pontificiæ ditionis vrbes appetebat facili successu, tum quia improuisus aduenerat, tum quia non erant ea munimenta & præsidia, quæ nihil iam apertum & opportunum sinunt. Hadrianus Romana sacra post Stephanum obtinuerat, qui tentato nequicquam iteratis precibus atq. legationibus improbi Regis animo, postquam omnia frustra erant, eandem auxilij viam ingreditur, quam Stephanus vtilem sibi ac salutarem in pari periculo expertus veluti monstrarat afflictis Ecclesiæ rebus, & indicarat exemplo suo. Petrũ Oldradum patria Mediolanensem ab epistolis habebat in familia, virum illum, qui postea patriæ suæ Pontificatũ meruit prudentiæ simul & sanctitatis laude. Hunc ipsum in Galliam ad Carolum Magnum expertæ pietatis Regem mittit, occulta & longiore via, ne scilicet in Desiderij late dispersos emissarios incideret. Summa legationis fuit; quoniam Ecclesiastica res, infestante Desiderio, penè in vltimum esset adducta discrimen, vt ad propugnationem eius pro sua pietate simul & imperij magnitudine Gallus accingeretur. Oldrado audito, & cognito Romanarum
rerum

rerum discrimine Carolus Magnus, auxilia non distulit, & exarsit pia statim cupidine, vt Ecclesiam ab illa Regis insectatione vindicaret. Non tamen arma in id ipsum mouere, & quietum imperij sui statum miscere bellis placebat. Simul ad Galli nominis maiorem pertinere gloriam arbitrabatur, si legationibus & prudentia, quàm si per bella, & acies ab Ecclesiæ rebus iniuriam prohibuisset. Ob ea, missis ad Desiderium legatis, nuntiari iubet, Romanum Pontificem, quem ipse Apostolicis euertere opibus conetur, ab se auxilium petisse; id non potuisse denegari. Proinde capefferet Longobardus iustioti bella, Christi Vicarium sineret esse in tuto ac tranquillo, neue iura & vrbes ipsius occupatum iret. Amico animo, si veri patiens fuisset, monebatur; sed iã ipsi, iam Longobardo nomini aderat finis; iam dissolui regnum oportebat, quod ea gens ex alieno raptum asseruerat sibi. Monita omnia fidamq. cohortationem adspernatus ludificabatur authorem pacis, atq. circumferebat impia per fines Romanos arma, donec vindex Ecclesiæ Carolus Magnus obuiam iret, & post varios ancipitesq. casus ingenti bello victor, Italiæ regnum faceret potentiæ suæ partem. Is Regni Longobardorũ exitus fuit, hunc finem habuit Petri Oldradi Mediolanensis legatio. Sed reputanti mihi, & cogitatione perpendiculari res vniuersas Longobardorum, à primo scilicet eorum aduentu in eum vsq. diem, quo sua Desiderius captiuitate dedit exemplum, ne quis regijs vnquam opibus abuteretur in Ecclesiæ damna, valde subit dubitare, plusne malorum attulerit ea gens Mediolanensis Ecclesiæ rebus, an dignitatis, & emolumentum.

lorum extremum potuit videri, cum irrumpente barbaro cunctaq. subitis incurfibus occupante, fugeret Archiepiscopus, atq. cum desertissimo ciuium comitatu Genuam exulatum iret; ibi, velut irati patriæ, manerent etiam postquam remigrare tutum foret. Hoc exulium, hæcæ fuga, Longobardi Regni quasi rudimentum fuit haud exiguo rerum nostrarum dedecore, potestq. meritò casus ille referri inter ea, quæ minuere videantur inuidiam Ambrosianæ maiestatis. Rursus, propensos in Arium Reges, & hæresi corruptum ea semper aliquem principum, indeq. factiones, & veteribus comparandas miseris calamitates, atq. Catholico Pontifici nonnunquam oppositum Arianum memorauit. Etiam improvidi casus, & funestæ suspiciones, & per eas infensa Theodolinda Constantio, mox ciuitas alienata, turbati prouinciales, tristem Ecclesiæ Mediolanensi Longobardi nominis memoriam reliquere. Sed magna rerum incrementa, magnæq. per omne Regni tempus utilitates, priuilegia, & iura, & quicquid sub Catholico imperio sperare fas esset, occurrunt. Tot Regio sumpta constructa Tempora, tot monasteria, tantum opum additum Ecclesiasticæ rei, quantum absumere per tot sæcula, tot varij casus non potuerunt. Desiderius ipse congeffit in Mediolanensem Ecclesiam ea, quæ non faciliè hac ætate Regum alius dederit, manetq. hodie in Brianthæo monte supra Cluatum D. Petri ædes æmula Vaticanij templi, quam Rex ille posuit & ditauit, votum Apostolo, cum Algisus filius, vulnerato per eos colles interuenandum apro diuinitus oculum amisisset. Ea montanæ ædis fuit origo, cuius ampla vestigalia celebrantur

nunc

nunc inter opes Romanas, & semper alicui principum cedunt. Posuerat ibi Desiderius illustriores opes, ea tempestate magis appetitas, quàm cætera iam appetuntur; tertiam nempe partem reliquiarum, quæ Romæ adseruabantur, cum eas antè mota in Pontificem arma signum amoris accepisset. Fuere autem, principis Apostolorum dextera, lingua D. Marcellini, & ex magni Pauli ceruicibus aliquid, præter alia multa, comprehensa diplomate, quod se vidisse Bernardinus Corio ait. Credimus eidem Corio, Desideriam ipsum, urgente Pontificis exercitu, subisse in collem qui nō longe à Cluato dicitur Barra mortuæ quondam vrbis nomen. Ibi munimenta circundata loco, arcem extructam, & breui nouæ faciem vrbis stetit, templis videlicet alijs initium, quæ subiecta, late regione, vel insculptum, aut inscriptum ostendunt adhuc Desiderij conditoris nomen, vel seruant famam. Hoc adeo pium atq. religiosum imperiū, siue Numinis ob latentes in ipsa religione, & pietate culpas, ira, siue, quia mutari suis temporibus omnia regna, & dominatus oportet, illato Romanis finibus bello meruit, vt deleteretur. Carolus inde regnat Magnus, ille Romani Pontificatus liberator, ille terrarum, & Regiæ suæ fortunæ prodigus dum Ecclesiam Mediolanensem faceret Reginam, liberalitate ac munificentia, quæ nostros apud homines nomen vtiq. diuersum obtineret, neq. crederent fortasse, nisi testimonia, & monumenta proferremus. Sed prius exsequar ordinem cæremonie, qua Modoetiæ per Archiepiscopū nostrum voluit ipse coronari, nimirum vt eo muneris principio ad reliqua gradum pararet. Deductus igitur

Modoe

Modoetiam ab Archiepiscopo Crasso cæterisq. Prouincialibus, & ab alijs, quos sua quemq. spes exciuerat, & cura prosequendi Regem nouum, tertio post die, Archiepiscopi eiusdem precibus, & manu, summus Italiae Rex inauguratur. Basilica D. Ioannis Baptistæ, Reginae Theodolindæ monumentum, huic sacro destinata erat antiquitus, ibiq. solennia Regni Longobardi principes capessabant. Carolus illuc ingreditur prosequente procerum & Episcoporum agmine; procedit in suam sedem Archiepiscopus Crassus; precantur Deum omnes, vt quod de coronando Rege in animo haberent, id Italo nomini, cæterisq. prouincijs, & Ecclesiæ toti bonū, felix, faustumq. esset. Deinde Archiepiscopus propriū eius rei carmen orditur; iterum deinde confedit, & petit ab vniuersa principum corona, num Carolum vellet habere Regem, & num ei ad omnia dicto audientes forent. Vbi velle sese, ac etiam fore responderunt, ornauit Archiepiscopus Carolum pallio, armillis, annulo, sceptro, ferreamq. coronam imposuit capiti. Ea coronandi cæremonia regis in ritualibus libris extat, eoq. ritu Carolum Magnum ab Archiepiscopo Crasso coronatum fuisse Modoetiæ vetustissimi annales tradunt. Cæterum in alijs annalibus reperi diuersos eius cæremoniae ritus, quandocunq. Mediolani in Ambrosiana æde, solenne illud celebraretur. Extra Basilicam est columna, longitudine ac diametro, quam lapicidinæ nostri temporis admirantur. Creditur esse veteris Romani palatij fragmentum, iam inde ab eo tempore, quo Cæsares, collocato hîc domicilio, urbem Mediolanum, sicut alteram Romam incolebant. Ad eam columnam, futurus rex

vt

vt accesserat, munus erat Angleriae Comitum offerre candidato pium volumen, in quo ritus Ambrosiani preces & sacra continerentur. Id volumen, siue Missale, princeps Anglericæ gentis postquam obtulerat Regi, iurabat ille quam sancte, fore se in Romani Pontificis autoritate, siue status Imperij, siue Ecclesiastica res ageretur, eiusq. sacramenti confectæ statim tabulæ vinculum erant, & monumentum. Euinciebat inde Mediolanensis Archiepiscopus ferreo diademate caput Regis, & præferente Crucis trophæa comite Anglerico, templū ingrediebantur; ad aram Maximam accedebant. Ibi nudato capite, poplite flexo, Rex pie numen veneratus expiabatur ab Archiepiscopo sollenni crucis nota, deinde collocabatur in folio; res tota testatò describebatur. Hæc auspicandi regni sollennia fuerant in vrbe, quæ ipsa Carolum obire voluisse non dubitauerim, vt fuerat veterum cæremoniarum, & antiqui moris obseruantissimus. Ita regnum adeptus, ita coronatus, cum suæ liberalitatis erga Mediolanensem Ecclesiam, initium hoc fecisset, vt creandi Regis potestatem sanciret exemplo suo; parabat maiora, quæ non nihil tardauit ortum ei certamen cum Archiepiscopo Thoma tristibus initijs, exitu mirabili, sicut memorabo. Carolus Magnus præter militiæ decora, quæ, & nominis gloriam, & imperij magnitudinem est assecutus, fuit eximia peritia rerum diuinarum, & antiquitatis vniuersæ, quæ sacrum æuum contineret. Cæremonias, & ritus omnes Ecclesiæ veteris, omnia instituta nouerat; quomodo ea in Ecclesiam inducta, quid inde mutatum, quid adiectum foret, haud minus memorare poterat, quàm qui eas litteras, & ea

monu-

monumenta vnicum vitæ solatium, vnicamq. curam nouere. Cùm adeò peritus esset, constituto regno cõpositisq. rebus, intendit animum in eam cogitationem, vt Ambrosianos ritus, & quotidianas precandi formulas quæ sunt officij nostri tolleret, atq. confunderet eas, ac misceret cum Romanæ formulæ precationibus, & vnum officij corpus efficeret. Pulchrum videbatur vnã in vna Ecclesia propitiandi Numinis esse rationem, & conjunctionem animorum, consentienti voce declarari. Penitus hoc animo cùm destinasset, exponit Pontifici Maximo consilium suum, & confestim in patrum conuentu tota res agitur. Crassus erat ille quidem miti admodum ingenio vir, & vbi non ageretur Ecclesiæ suæ dignitas, facile sese in omnia efflagitantium vota pateretur inflecti ac exorari; si negotium esset affine rebus Ecclesiæ, atque vllò modo ea in discrimen veniret, acerrimi repente spiritus animiq. Pontifex cernebatur. Id adeò facilè apparuit in hac Ambrosiana causa, & destinatione Regis. Namq. profectus illico Romam, & Eugenio Gallici nominis Episcopo in partes assumptò, quã precibus & lenitate, quã rationum pondere patres impulit, vt inuranteis in Regis vota sententias tanquam verecundia, & religione sustinerent. Sed cùm iniecta mora nihilominus instarent Regij, quosue illi traduxerant in suam sententiam, Eugenij fautoris monitu eò decursum est, vti res tota ipsimet Numini dijudicanda permetteretur. Itaque consentientibus vtrunque ratio initur, qua disceptante Deo statueretur abolerint, an verò æternum manere Ambrosiani officij formulam oporteret. Ea ratio fuit huiusmodi. Breuiarium. & Missale

Missale vtrūq; Romani quippe ritus & Ambrosiani collocantur separatim in ara maxima D. Petri, occlusisq; foribus, & impresso annulo, discedūt inde pars vtraque, pro certo, & iudicato deinceps habituri quicquid cælestia signa comprobarent. Instaurant preces, perseuerantis inediæ rigore, supplicationibus ad præcipua templa, effusa quoq; in pauperes liberalitate, flagitant diuinæ voluntatis indicia, ea vna cura id vrbe tota est votum. In hunc modum exacto triduo (spatiū quippe temporis id conuenerat) resignantur claustra, gradum inferunt, Princeps, Pontifex, Patres, penes quos futura esset lenissimi certaminis victoria, haud minus solliciti, quàm cum olim præcipua fidei capita & summa religionis in discrimen veniret. Postquam in aræ maximæ cōspectum venēre, vident mirabile dictu, quod ita referam prout in grauissimis monumentis extat. Romana precum volumina, sparsis atq; dissipatis toto sacello folijs apparuere, codices Ambrosiani, sua in sede, quo statuti fuerant situ stabiles manebant; id vnum Diuina vis mutarat, quòd aperti, & explicati prostabant, quasi pietatem, & oculos inuitarent. Ab ea diuinæ voluntatis tam illustri significatione nemini dubium fuit, quin Romana formula, communis, & publica toti terrarum orbi, Ambrosiana propria Ecclesiæ Mediolanensis intelligeretur. Ita decretum est factum. Ambrosianos ritus Ecclesia Mediolanensis, prout initio tenuit, seruato, neu quis eos tollito vel immutato. Eugenius, vti dictum est, Gallici generis Episcopus, vel admiratione Thomæ Crassi, vel erga nomen Ambrosianum pietate, fuerat inter auctores retinendi ritus, eoq; potissimum hortante consen-

D d d d

ferant

ferant Patres, ut collocatis in ara maxima sacris voluminibus, caeleste responsum expectarent. Is Eugenius, cum dimisso concilio reuerteretur in Galliam, ac ex itinere Mediolanum venisset, accepere Mediolanenses eum gratulatione tanta, quantum fuerat beneficium, quo vetustissimi ritus in discrimen adducta iura, & primaeuas caeremonias, atque Apostolicae dignitatis monumenta conseruauerat. Ita, dum Mediolani, tanquam in altera patria dies aliquot moratur, morbus eum occupauit, ex quo non conualuit. Situs est in Eustorgiana Basilica, sacellum exstructum, & ipsius nomini consecrata est ara, quae uisitur & celebratur in hunc diem. Huius uiri memoriam propere aboleuerat suo more uetustas, neque iam magis nouerant Eugenium Mediolanenses, quam ceteros, qui premuntur obscura nocte quamuis meriti fuerint, ut in animis hominum in memoria rerum, in aeternitate temporum uiuant. Ipse semet ab obliuione vindicauit insigni miraculo, de quo sic memorant. Matrōna nobilis erat apopleptico stupore defixa per multos annos, idque sine remedio malum, sine spiritu corpus habebatur. Huic in hunc modum deploratae salutis mulieri per nocturnam quietem Eugenius obtulit, sese, monstrauitque sedem, qua in sede reliquiae suae mortales iacerent; iuberet aperiri loculum, inde salutem fore. Factum uti dixerat, inuentoque Sancti Pontificis corpore, lethalis matronae torpor, & diffusa per membra tabes abcessit. Ex eo tempore, simul reuixit Eugenij nomen, magnique concursus ad eius tumulum facti, donec rursus obreperet ingratae mortalitatis obliuio, totaque celebritas, & memoria permitteretur in numerum aliorum, qui recoluntur

luntur anniuersario cultu. Ita renouatum est Eugenij nomen, vindexq. ritus Ambrosiani celebratus æterna laude, gratis ciuium animis ob memoriam periculi, quod vitatum erat. Ambrosianum officium, & hæc in religionis cultu propria Mediolanensis Ecclesiæ consuetudo, quibus initijs inualuerit, explicabo; dignationem quoq; eius, & Romanorum rituum origine vetustiora primordia, mutationes inde & varietates, & statum, vel siquid aliud attinuerit declarari. Prima tulit initia primamq. descriptionem vnà cum Euangelio Barnabas Apostolus, coepitq. Mediolanensis Ecclesia iam inde ab ipsis natalibus & origine sua, singularibus cæremonijs, & proprio cultu superos venerari. Argumēto est descriptus adhuc ordo rei Diuinę, prout fecisse Barnabam constat, longe dissimili ritu, atq. cæteri tunc Ecclesiæ principes sacrificauere. Postea Mirocles desumptas ex communibus Apostolorum institutis, preces, & Sacra redegit in vnum corpus, qui deinde libri, cùm inter aduersos Ecclesiæ casus periissent, ab Eusebio sunt restituti. Ad didit Ambrosius ad Græci ritus imitationem, & pleraq. suo Marte, cantica nimirum & responsa laudationesq; Sanctorum, quæ nunc sacris internitent. Hæc Ambrosiani fuerunt officij, vel initia, vel incrementa, quibus Ambrosium ipsum præcipuam contulisse partem, inditum id ex authore nomen declarat. Ac tanta statim ab illius obitu dignitas increuit, vt quacunque patent prouinciæ fines, etiam eo ritu sacrificaretur, donec prouinciales Ecclesiæ proprios sibi ritus instituerunt. Nec primis utiq. temporibus erat in Diœcesi varietas illa, qua nunc pleraq. oppida iuris Ambrosiani,

ob

Dddd 2 Ro-

Romanis inter quotidiana sacra legibus vtuntur. Varijs
 postea casibus atq. temporum, & hominum licentia,
 omisso patrio cultu in illas cæremonias degenerauere.
 Ac prima omnium Modoetia, pulcrum putauit, in cõ-
 muni sacrorum consuetudine, singularem suam esse
 conditionem, tenuitq. fauente Theodelinda, vt in Ro-
 mani officij partem acciperetur. Fortasse etiam id po-
 tuit accidere suspiciosissimo illo tempore Constantiano,
 cum infensa Regina Pontifici, Mediolanensem quodam
 modo simul Ecclesiam odisset. Minus noxia quibusdã
 causa secessionis. Nam, aut contributi Romanis vrbi-
 bus olim, seruant eas leges, quibus paruere maiores ip-
 sorum, vt in Verbanilacus littore, Arona, Varena in La-
 rij; aut exteris finitimi, in eorum ipsi quoq. ritus abiere
 vt Triuiliu, Verdellum maius, Tricium, Fraxinetum
 quoq; & Vallis Macca, quorum illos, traxere Bergomẽ-
 ses; his positis in Mantuano dõminatu proprius illius
 terræ ritus adhæsit. Thomas Crassus Ambrosiani ritus
 propugnator, septimo Pontificatus anno mortuus ia-
 cet in Basilica Laurentiana. Post eum, Petrus Oldra-
 dus, consentientibus populi suffragijs, fit Episcopus,
 eamque nominationem suprema Romani Pontificis au-
 thoritas comprobauit. Fuerat hic infamilia, sicuti
 dictum est, Hadriani, scribendarum epistolarum cura
 & ministerio, quod munus non erat olim famulorum, &
 atriensium, qui tantũ herilia mandata domesticaq. for-
 des consignare litteris, possent, quiue pudendis apti le-
 gationibus, vili quoq. manus ministerio, dominum leua-
 rent sumptu; sed sapientiæ studia, & grauitas, innocen-
 tia quoq. morum, & magnæ virtutes in eo demandan-
 do

do spectabantur. Ea omnia, cum emerent in Oldrado, fecerant, ut Mediolano Romam ad splendidum illud, & graue munus exciretur. Creatus Archiepiscopus, egregium illud facinus agitauit animo, ut Mediolanensem Ecclesiam restitueret in eas opes eamq. maiestatem, quam aliorum beneficentia regum non vna mole sed lentis partam auctibus alij strauerant reges, non vno ite ictu, sed varijs afflictamentis. Itaq. cum exposuisset nouo Regi, quæ prædia, quasue terras Archiepiscopi Mediolanenses olim possedissent, quæ fuissent eorum priuilegia, & iura, permotus ille, siue virtute Oldradi, siue urbis, & Ecclesiæ magnitudine, concessit ac donauit imperium & opes Oldrado, quæ donec mansere, principibus etiam ac regibus Mediolanensis Ecclesia fuit inuidenda. Donationis eius litteræ vnicum tantæ fortunæ vestigium extant in hanc sententiam, & hoc exordio

IN NOMINE SANCTISSIMÆ ET INDIVIDVÆ
TRINITATIS CAROLVS diuino nutu coronatus Ro-
manorum Imperator, Rex Francorum, & Longobardo-
rum, omnibus Italiæ præfectis Sal. Petrus Oldradus Ec-
clesiæ Mediolanensis Archiepiscopus, venerabilis vir, &
amicus homo nobis, petijt, ut ea, quæ Constantinus Ma-
gnus cæteri q. ante illum Imperatores concesserant Ec-
clesiæ Mediolanensi, temporum, & hominum iniurijs
amissa, restituere, confirmare vellemus; Id præterquam
quod ad animæ nostræ salutem pertineret, etiam Am-
brofij memoriæ tribuendum esse, cuius nobis putamus
opem ad varios imperij vitæq. casus implorandam.
Iustum omnino postulatum est visum, annuimusq. libe-
ter, ut, non modò, si quæ fuerant adempta restitueremus

Eccle-

» Ecclesiæ Mediolanensis, sed impensius etiam nostra ip-
 » sani liberalitate cohonestaremus. Concedimus igitur
 » Oldrado Archiepisco, cæterisq. qui legitime post eum
 » Ambrosianam Ecclesiam obtinebunt, omnia, quæ Me-
 » diolanino nostro nomine possidentur, urbem, urbis mœnia,
 » publicas ædes, portoria, fiscum atq. iurisdictionem vni-
 » uersam, Castella, famulos, agrum, sylvas, montes, aquas,
 » aquarumq. decursus, & alia, quæ Archiepiscopi Medio-
 » lanenses olim tenuere. Quòd si quæ sunt in vrbe, vel ex-
 » tra urbem, Comitum, aut Vicecomitū iure possessa non-
 » nullis, hæc tamen ipsa parere volumus Archiepiscopo,
 » ita, vt, ibi forū agere, iura populis dicere, facere demum
 » possit omnia, quæ pertineant ad incrementum, & digni-
 » tatē huius Ecclesiæ in perpetuum duraturæ. Si quis autem
 » ausit hanc à nobis ita constitutā Ecclesiæ Mediolanensis
 » iurisdictionem imminuere quoq. modo ac turbare; mul-
 » ctā ei fuerint, auri optimi libræ ducentæ, quæ pecunia
 » diuisa bifariā, Archiepiscopo & nobis cedit. Hæc sum-
 » mā fuit Imperatorij priuilegij, quo Mediolanensis Eccle-
 » sia Regum æquauit opes, donec nouæ in tantum splen-
 » dorem iniuriæ coararentur. Derthonæ dederat Carolus
 » id priuilegium, subscripseratq. sua manu, addito etiam
 » annuli Sigillo. Subsignauit litteras Longinus pro Odo-
 » ne Episcopo. Annus magnæ liberalitatis fuit à Christo
 » nato DCCCX. kal. Maij; decimus, ex quo Carolus
 » ipse venerat ad Italiam liberandam. Sic omnia vidimus
 » adscripta. Auctis ad hunc modum opibus, Oldradus, vt
 » cresceret simul & diuini cultus magnificentia, ac vt pa-
 »rens præsertim urbis Ambrosius nouæ fortunæ partem,
 » & sui Pontificatus incrementa sentiret, statuit Ambro-
 » sianæ

fiane ædi novos addere Sacerdotes, fundauitq. Monaste-
 rium, ijs legibus & eo consilio, quod apud posteros esse
 testatum voluit, scripto in hanc sententiam diplomate.
 Memorem se rerum humanarum finis, ac officij sui, cogi-
 tare semper ea, quæ pertineant ad animæ suæ salutem,
 ad principum incolumitatē, ad populi quoq. totius re-
 ligionem & disciplinam. Et quia nihil esse ducat Sancto-
 rum aduocatione præsentius ad ea omnia curāda & ob-
 tinenda; ideo putasse faciendum, vt ad cæterā Ambro-
 siani Templi celebritatē adderet piorum hominum fa-
 miliam, qui solitariam ibi vitam agentes, nocturno di-
 urnoq. cantu venerarentur Deum, sanctos inuocarent,
 Ambrosium nempe Pontificem, Martiresq. Geruasium,
 & Protasium, quorum ibi sita essent corpora. Ac ne Am-
 brosianus ille nouus ordo, cui Benedictum quendam in-
 stitueret Abbatem, laboraret vllis vnquam angustijs at-
 que difficultatibus; concedere se Benedicto Abbati, cæ-
 terisq. qui post eum, id nominis ac dignitatis obtinue-
 rint, vniuersoq. Monachorum ordini cellam, quam ab
 Diacono Forte coemisset; hanc haberent sibi propriam,
 & suam; in ipsam verò Basilicam, pateret etiam ipsis adi-
 tus ad sacra faciunda, quod Carolo & Pipino regibus,
 & sibi, Cleroq. Ambrosiano salutare & quietum foret.
 Ac, ne qua, voluentibus sæculis, inter Collegium vtrūq.
 Canonicos nimirum & Monachos oriretur fortè dissen-
 sio; ita se rem statuere, ac definire, vt omnia cellæ iura,
 quæ tunc essent, quæque post forent, sicuti cessura erāt
 Diacono Forti, cederent Monachis; in Basilica verò, nul-
 lum, præterquam psallendi, & precandi ius haberent,
 si uerenturque tamen subsidijs, & stipe, si quam larga
 pietas

pietas alicuius ad sustentandam eorum vitam fortè cōtulisset . Ad ipsius verò Monasterij gubernationem atq. disciplinam , hæc in perpetuum præcipi , & caueri . Le- ges, & instituta Monachis describeret Abbas Ex D. Be- nedicti formula, eaq. deinceps quotidianæ vitæ ratio , norma, & vinculum esset ordines huius Ambrosiani . Collegij, antistes ; & Abbas ex ipso Monachorū corpore legeretur , qui scilicet ibi sacram togam accepisset , ibi cum cæteris fuisset altus ac educatus . Hæc ex ipsius au- thoritate Caroli constituta, fauente Clero , Populo ap- probante, si quis tentasset vnquam, tollere, vel infirma- re, vt in eum iratus Deus ederet exempla suæ iustitiæ, sa- crilegumq. caput, princeps Apostolorum , & ipse pater Ambrosius abominarentur . Edicti sententia hæc fuit ; sed eorum quoq. describam authoritates , & nomina , qui scribendo affuere , namq. arbitror id fore validissi- mum ad faciendam fidem . Petrus Episcopus S. Medio- lanensis Metropolitanæ Ecclesiæ . Datheus Archipre- sbyter iussu Petri Archiepiscopi subscripsi . Olfredus Archidiaconus . Deusdedit presbyter . Petrus Diaconus Sanctæ Med. Eccl. Fortes indignus Diaconus . Se- nator Presbyter . Iacobus Diaconus . Stephanus Pre- sbyter . Rosfredus Diaconus . Lucebertus indignus pre- sbyter . Ottolinus Diaconus . Aristæus Diaconus . Ol- debertus presbyter . Anluertus presbyter . Rodolphus presbyter . Igulphus presbyter . Theodorus indignus presbyter . Theofredus presbyter . Ad presbyter Sanctæ Mediolanensis Ecclesiæ iussu Petri Archiepiscopi scripsi, subscripsi confirmaui . Hæc fuit origo Monaste- rij, quod nūc stat excelsa mole principumq. tectis haud absimili .

abfimili. Petrus Oldradus constituto Mediolanensis Ecclesie patrimonio, fundatoq. Monasterio, quod tantis opibus, & ipsius Ambrosij nomine dignum esset, non minori sollicitudine contendit, vt populi quoq. constitueret mores, & si quid in religionem irreperat vitij, tolleretur ac sanaret. Atq; tantum fuit eius odium aduersus praua dogmata, vt á Carolo Magno malleus hæreticorum appellaretur. Anno vigesimo octauo postquam Archiepiscopus renuntiatus, res cœperat agere tantas, migravit in cælum, coronatis regibus, Pipino, & Bernardo, ac ne qua gloriæ pars deesset, restituitis etiam D. Gregorij monumentis, quæ mortalibus populi Romani studijs, & inexpiabili in diuinum hominis illius ingenium contumelia fuerant dissipata. Dederat hæc negotium Oldrado summus Pontifex Hadrianus ob vnicam illam tempestate viri doctrinam & fidem. Successores eius ad Angilbertũ vsq. Pusterlam, quod fuit spatium annorũ fere sexdecim, egere minore gloria, siue rebus iam ita compositis ab Oldrado, vt quamuis actiuosa virtus, materiæ nihil ad laudem haberet; siue fortasse plus pietatis, & sapientiæ fuerit in illis, quàm impetus ad agendũ, qui negotia vbi desint, conquirunt. Fuere autem Alipertus Crassus, Anselmus Bilius, Bonus Castillionæus, Angibertus Pusterla, primus hoc nomine, qui non vltra sextum mensem vixit in ea pastorali vigilia, transtulitq. D. Monæ ossa ex obscuro tumulo, in eam sedem, quæ digna tanti viri reliquijs esset. Priores fuere singuli quaternis annis in Pontificatu, nec memorantur alia, præterquam communi Episcoporum omnium laude, quòd extra natiuas humani animis labes fuerint, quodq; in-

retinendo iure constantes, adietint impavidis animis pericula. Pro Aliperto Odbertum nonnulli annales habent; & Anselmo, ne fuisse per omnia cessator videretur, infame negotium affinxere, quasi Bernardum Italiae Regem, vna cum Volfoldo Cremonensium Pontifice stimulauerit ad ea arma, quorum exitus, ignominia Regis, coniuratorum verò strages fuit. Voluerat ille Regem Galliae Ludouicum exturbare regno, neq. tam sua sponte, quàm hortamentis eorum, quibus quieta non placebant. Ac primo statim motu, sicuti solent, qui temerario magis ausu, quàm forti animo quippiam incepere, trepidus atq. consternatus poenitentia, dedit seq. & arma, victorisq; rabie oculis effosis reliquam absq. luce vitam egit, magno ipsius Anselmi dedecore, siquidem ille fuerat inter coniuratos. Angilbertus Pusterla deinde Archiepiscopus est factus lætis initijs, exitu, per aliquot annos pari, dein funesto, siquidem ille, cum administratis aliquandiu præclare, laudabiliterq. rebus à Romano demum Pontifice descuisset, eius dissidij miseram hæreditatem reliquit Ecclesiae Mediolanensi, nostriq. per diu Pontifices Angilberti spiritu, & contumacia rebelles fuere. Concessit ei Rex Ludouicus omnia, quæ Carolus Oldrado, iussitq. fixa in perpetuum, & rara esse principis illius munera, de quibus retuli. Ideo diues, & opulentus æmulatusq. munificam Oldradi pietatem erga nomen Ambrosij, concepit animo Regium opus, altare videlicet aureum, cum pretioso gommarum vnionumq; distinctu, vt, quemadmodum Oldradus addiderat ad sacra faciunda ministros Aedi, sic ipse adderet aram, quæ digna esset cætero cultu, & tanta iam
maie-

maiestate . Stimulabat animum, præter auctas opes , & Basilicæ dignationem , etiam fama reliquiarum ipsius Ambrosij , quas infra aram maximam abdito in specu reuincta quaternis catenis arca seruari publica credebat religio . Conflavit aureum frontale Voluinius nobilis ea tempestate faber : insumpta in id opus triginta millia nummum aureorum ferunt . Transtulit Angilbertus Caloceri quoq. reliquias, & eas in Cliuatensi Aede collocavit . Atq. vt Pontificatus esset insignis religionibus, & aucto superum cultu , duo, quæ manent adhuc templa Mariæ Vitgini posuere, Fulcus & Pedito, splendidi homines, & honorati , Falcorinam, & Pedonem hodie vulgus appellat . Ne ancillæ quidem à munificentia , & pietate cessauere . Secreta erat ex Pedonis famulatu, parcimonia sua, vel herili munere, nacta pecunias vltra seruilem fortunam . Ea tertiam ædem extruxit virgini Deiparæ , quæ Secreta hodie dicta , mulieris illius nomen præfert, sed ignotum ciuitati iam , & obscurum . Nec Pedonis, aut Fulchi clarior erat memoria . Hæc Mediolani sumpsit Ecclesiastica res incrementa sub Angilberto , opportunè , tum ad ipsius Ecclesiæ splendorem, tum ad vetera damna , & delatas olim aut violatas ædes . At Obizo Comarchus Angleriæ, & Aronæ , cum pace conciliata Pontificem inter, & Imperatorem, D. Felini, & D. Feliciani reliquias eius rei præmium accepisset, easq. deportasset Aronam , excitauit ibi templum, & Monasteriû, addiditq. vectigalia, quæ cum reliquo Verbani lacus imperio cessere postea Borromææ genti nota domus possessio, donec exortus in ea familia D. Carolus ademit sibi & suis , hæc , & alia caduca bona , vt sempiternum e suo

nomine decus inferret, idq. Societati Iesu, nobile Sacerdotium attribuit. De Felini, & Gratiani reliquijs ita est apud Bernardinum Corium, quem in patriæ rebus libenter authorem sequor; alibi pro Obizo Erimbertus, neq. Gratiani, & Felini, sed Primi, & Feliciani nomen extat, & Legionum fuisse translata ossa, non Aronam. Discessit inde Angilbertus à Romani Pontificis authoritate, nõ leui malo, etiam si, vitæ ipsius & dissidij finis idem fuisset. Sed nescio quo modo accidit, vt in annum vsq. ducentimum ab illius exitu, defectionis huius ignominia Mediolanensis Archiepiscopus haberet, eoq. notaremur dedecore, finitimos inter, & longinquos, quanto magis Ecclesiæ nomen, apud æmulos inuidia apud integros admiratione celebraretur. Neq. tanti mali certa vlla traditur causa, quam equidem in re tam insigni veteris memoriæ negligentia admiror. Sumpseritne sibi spiritus ingentes Archiepiscopus ob Caroli Magni liberalitatem, & crediderit opes iam posse suas Romanis opibus æquiparari; ob id humani animi insolentia, spreuerit imperium, & blandiente libertatis dulcedine facere sui iuris Ecclesiam hanc destinarit; an verò culpa etiam aliqua fuerit in Romano, dum, præbet huius ingenio materiem temeritatis, imperatq; Mediolanensi rigide, & seuerè, tanquam foret vnus e cæteris Eiscopis, qui ab celsissima illa maiestate, immani distarent interuallo. Sed non in eo dissidio tamen Angilbertus defuit Reip. salutaremq. siquisq. alius egit Pontificatum satis vt apparet, non vitio religionis eum, aut animi prauitate, sed contentione dignitatis alienatum esse, quæ principum insania nimium sæpe publicum bonum interpellauit.

Iudo-

Ludouico Regi carus acceptusq; inter paucos erat, siue placeret animi magnitudine, foretq. regiae fortunę consilijs, & negotijs aptus, sine etiam in illa dissidij calamitate quæsuisset hoc sibi munimentum in vulgus, vt quantum deperiret authoritatis ob Romani Pontificis iras, tantum ex altera parte sarciretur, oppositãq. tristi famę hęc apud Regem gratiã obtineret. Ita Ludouicus adhibebat Angilbertum in magnis arduisq; negotijs, & fiebat imperij pars Archiepiscopus, Rexq. vicissim ipse componendis Ecclesię rebus vim authoritatemq. suam admovebat, egregio temperamento, cum opes Regiæ, prudentia Pontificis, monita, terrores, præmia, pœnæ, ad emendandos hominum mores, constituendamq. disciplinam hinc inde miscerentur. Huius præclarę societatis illustre monumentum extant Angilberti litteræ, quas de statu rerum Ecclesiasticarum ad Regem dedit, cum ipsius rogatu assumpto in negotij partem Aquilensi Patriarcha, recognouisset Episcoporum instituta toto Regno, Monasteria, templa, Xenodochia, Clerum, principum quoq. iurisdictionem, an satis æquabilis, & moderata, an esset cõsentanea legibus Euangelij. Litteræ fuerunt hoc exemplo. Angilbertus Archiepiscopus Ludouico Regi. Cum in Episcoporum conuentu, ego Angilbertus Archiepiscopus, & Andreas Aquilensis Patriarcha, exposuissemus dignum tuum animo Regio consilium Ecclesiæ constituendæ, & quemadmodum dedisses id negotij nobis, vt inquireremus, quid in quaq; parte corruptum, aut neglectum egeret remedio; grata res Patribus fuit, & plenam vtilitatis eã fore actionem omnes existimauere. Inde aggressi rem ipsam perscrutatiq.

„ ratiq. diligenter omnia, magno nostro dolore compe-
 „ rimus, vix quicquam in tota Ecclesia reliquum esse sani,
 „ & synceri, tantasq; corruptelas irrepsisse, quantas ex-
 „ ponemus, ordine, quem etiam in habenda quæstione
 „ nobis esse propositum voluisti. Episcopos inuenimus
 „ in suo munere segnes admodum & remissos, nec in eorū
 „ vita quicquam ad eam formam, qua debuerant esse cæ-
 „ teris ad omnem virtutem incitamento. Sane in eos fue-
 „ rat animaduertendum, vt pœna saltem sua licentiam
 „ aliorum coercerent. Sed vt detur illis pœnitentiæ spa-
 „ tium rogamus; fortasse enim resipiscent, & regiæ tuæ
 „ maiestati fuerit illustrius, clementia, quàm seueritare rem-
 „ gēssisse; ac nos interea non cunctabimur accipere crimi-
 „ na, & delationes, eorumq. causas cognoscere, qui sibi
 „ vlla in re factam iniuriam expostulabunt. Sacræ con-
 „ ciones habentur segni cura, vel penitus etiam intermit-
 „ tuntur, estq. partim culpa Pontificum in eo, partim eorū
 „ rum, qui cū habeant sacella domi, nec ad tunc ipsi
 „ templa, nec adire familiares sinunt, At Episcopis qui-
 „ dem, inter cætera, quæ deliquere, hoc etiam absq; vlla
 „ prorsus excusatione flagitium manebit; opulenti verò
 „ populares excusant incommodos egressus, negotia,
 „ temporis angustias inuitamēta manendi, maiore culpa,
 „ quàm si causæ nihil afferrent. Ita, dum plebs minuta
 „ tantū ad audiendam Dei verbum accedunt, ea sola
 „ concionatori materies relinquitur, vt incommoda pau-
 „ pertatis eleuet, commendetq. patientiam eius mali.
 „ Quod si diuites etiam accederent, non autem illa tan-
 „ tū infirma, & egena multitudo; possent vtique con-
 „ cionatores inuehi patentiore campo, in delicias, &
 „ luxum

luxum malorum omnium semina, atq. per eam occasio-
nem feueri pudicij. mores in hominum animos induce-
rentur. Remedium erit, sancire lege, ne quis intra do-
mesticos parietes, aut in deujs ædiculis obeundo sacra,
liber sit communi religione adeundi maiora templa fe-
stis diebus, atq. id, vt ita sanciat, suademus. Compe-
rimus etiam inquirendo, vagari per vrbes, & agros ho-
mines e nostro Clero, qui, vel nullis initiati sacris aude-
ant sacra facere, vel initiati faciant iniussu nostro, quod
temeritatis esse eiusdem putamus. Id piaculum eaque
culpa, quia non admitteretur, nisi dynastæ locorum re-
ciperent homines huiusmodi, atq. vltro in sacrilegium
impellerent; ideo moneri Comarchos, & administros
eorum oportebit, ne tale quicquam in posterum faxint.
Peccant iidem, siue dynastæ, siue præfecti grauitè etiã
in eo, quod obeundo suæ iurisdictionis loca, pagatimq.
forum agendo, plus oneris imponunt pauperibus, quàm
sustinere possint. Non erit vltra locus huic querimonię,
si lex illa custodietur, quam auus tuus vir sapientissimus
tulit. Episcopo item in lustranda Diœcesi nollem gra-
ues esse cuiquam; nec placet immunitates violari, quas
Rex pater indulsit; tum si quem Episcopus festum diem
iusserit esse, cum vt religiose populus colat ritu suo.
Hæc scripserat Angilbertus Archiepiscopus minime re-
belli, sicut apparet in Catholicam Ecclesiam spiritu,
quãuis à capite desciuisset. At Rex Ludouicus, acceptis
litteris, & attente considerata Mediolanensis Archiepi-
scopi relatione, nihil cunctatus, ex sequitur consilia, pa-
rat remedia, quæ ne vana in posterum forent, Regni
proceres in aulam exciuit, atq. ira eos est allocutus.

Non

» Non primus hic mihi dies admonendi vos , & obse-
» crandi , vt innocenter ac pie , sicuti Christianos decet
» homines viueretis , & conaretur vnusquisq. vestrū pro-
» hibere , ne qua fieret cuiquam iniuria , statumq. in primis
» Ecclesie sartumtectum & incolumem tueremini . Sed cū
» ab Angilberto Archiepiscopo petijsem vt cognosceret
» quemnam hæc nostra multoties declarata sollicitudo
» exitum habuisset , & an toto Regno fierent ea , quæ vel-
» lemus ; retulit ille multa , quæ nollemus intellexisse . La-
» bare capita rerum Episcopos , & segniter in suo quemq.
» munere versari , conciones intermissas aut desertas prin-
» cipum virorum incuria , qui debuerant exemplo suo cæ-
» teros illuc ad Christianæ vitæ disciplinam iuuirare , pau-
» peres oppressos , & imposita illa onera , sub quibus inge-
» miscant , festorum quoq. dierum contemni religionem ,
» & conceptiuas ferias , quæ publicæ salutis causa susci-
» piãtur , operibus fœdari quotidianis , & in promiscuo vsu
» cæterorum dierum haberi . Hæc nobis Angilbertus Ar-
» chiepiscopus renuntiavit exposuitq. remedia , quæ ma-
» lis huiusmodi possemus adhibere , faciemusq. Deo bene
» iuuante propediem . Vos interim estis admonendi , ne
» turbetis Ecclesie iura neue faciatis maioribus nostris iniu-
» riam , qui muneribus eam amplissimis ornauere . Nam
» sicuti fungi suo munere Sacerdotes velimus , inculpatãq.
» vitam esse Monachorum , ita tueri rem , & dignitatem
» eorum debemus , & prouidere , ne detrimenti quicquam
» patiantur . In Ecclesie causa vobis hoc semel denuntia-
» tum est ; neq. enim dubitamus , quin voluntatem hanc
» nostram pro imperio sitis habituri , sicuti semper alias
» consueuistis . Quod verò ad officij vestri munus & publici
» regi.

regiminis, emendationem attinet; hortamur, vt in iure
dicundo, absq. ira & studio sequamini duodecim tabu-
larū autoritatē, quæue alia maiores ad conseruationē
humanæ societatis reperere. Sic agendo, regnum au-
gebitis, & vestras priuatim opes, famamq. nominis
æternam assequemini. Prætoria quoque certis locis
volumus esse constituta, tum liberum ac tutum esse si
qui adire nos velint, & faciles in Regiam patere com-
meatus. Hæc habebam in præsentia quæ vos admo-
nerem; cætera, quæ constituimus ex Archiepiscopi re-
latione & consilio propediem scietis. Angilbertus in
ipsa defectionis calamitate salutaris Pontifex author
fuerat in hæc instituta formandi Regni, tēperaueratq.
Remp. ita, vt egregia, & rara videre posset forma no-
stris quoq. temporibus, quæ plus iactant, vel ciuilibus iu-
stitiæ, vel christianæ pietatis. Neque verò, dum exter-
na, & aliena moderaretur, habebat domestica sine cura,
quam fortasse negligētiam attulisset alicui vacors am-
bitio, & parti iam nominis gloria. Composuit enim
Mediolani, & ordinauit rem præcipue Monasticam, quæ
suo more paulatim à sanctissimis institutis, & summa
seueritate retro abibat in flagitia. Adhibuit alijs alia
remedia; Monasterio Ambrosiano, cuius ordinis ho-
mines florebat congestis illuc recens opibus, & cor-
rupta nondum disciplina Gaudentium Abbatem dedit,
expertæ moderationis virum, & D. Vincentij præfectu-
ra probatum satis; firmavit illis Oldradi munera, suūq.
munus addidit, vt quandocunq. naturæ satisfacisset
Abbas Gaudentius, eligerent deinceps è suo Collegio
quem eo munere dignum putarent. Vixit Angilbertus

in Pontificatu quatuor annos, & viginti, magnis utiq;
 vir & felix, nisi gloriam omnem, non apud posteros
 modo, sed etiam apud eos, qui tunc erant homines, fec-
 dasset, nomen illud infame rebellionis. Par ferme re-
 gnandi spatium ipsi fuit Ludouico, quem in Ambro-
 siana sepultum æde, satis illustrabat, etiam si historię
 omnes tacerent, amplexa nobili carmine vitam illius,
 tabula. Sententia carminis, si fortè marmor vetustati
 cesserit, hæc erat. Regem ibi Ludouicum iacere, cuius
 glorię Musę non sufficiant. Huic, in ipso lucis exordio
 donasse res Italas auum, ne primus vitę dies vacaret
 folio, & Regno. Rudimentum eius Regni puerilis ha-
 buisse canos maturitatemq; senum. Dicit non posse,
 fueritne pietatis gloria maior an ingenij. Romam vbi
 sub imperium accepisset, fecisse suis armis, vt excusso
 Sarracenorum iugo ciues, tranquilla in toga, pacis ar-
 tes colerent, sicut antea bonis temporibus. Hunc Cæ-
 sarem ereptum immatura morte rebus humanis, quia
 tali Principe populus indignus esset, dignus autem ipse
 celo. Proinde flerent, Roma, Latium, Gallia, parente
 amisso; sed neq; rursus flerent, quia meritis ille la-
 crimas humani generis, nunc sempiterno beatorum æ-
 uo frueretur. Postea Thado & Carolus Caluus, hic Ita-
 lię regnum, ille Mediolanensem Ecclesiam accepere.
 Inclytum ea tempestate nomen fuit Thadonis, cumq;
 post Caroli Magni principatum, & culta iam tempora
 Regis illius institutis, & immortalis apud posteros exē-
 plo, ciuilia studia, mores innoxij, contemplatio diui-
 narum rerum, essent vnica Pontificum gloria, nec alia
 via tentaretur aditus ad sacros honores; Thadonem
 ipsum

ipsum, non sapientiae, non pietatis laude quisquam au-
tistabat. Ab hoc Archiepiscopo Thadone statim pe-
tiere Monachi Ambrosiani, vt Oliuetum quod a Lotha-
rio Caesare concessum ipsis, Episcopus quidam inuasis-
set, assereret Monasterio; simul vt intra fines Ecclesiae
Sanctorum Vitalis, & Agricolae ponerent aedem, quae
D. Petro, & D. Paulo dicata, infirmorum aedes diceretur.
Insuper petiere, vt semitam, quae ferebat in Mona-
sterium clauderent ex ipsius autoritate nouumq. tra-
mitem aperirent. Restituit Oliuetum, atq. fauit Apo-
stolorum honori, nec de nouo tramite negare quicquam
est visum. Extant harum rerum litterae scriptae nomine
Thadonis ipsius, quas litteras ego cum legissem, magno-
pere suspectas habui veritus nouitias Monachorum ar-
tes, atque mutua commenta post exortam de Basili-
cae illius possessione litem, et gnarus huiusmodi monu-
menta vincendi cupidine, fingi, vel adulterari, idque
Canonicos expostulare. Sane stilus ipse diplomatis ar-
guere videtur adulterium, estq. dispar ei fama, quam
accepimus de sapientia Thadonis, et ingenio. Barba-
ra ibi pleraq. & absurda non sine verborum transposi-
tione, quam venire a claustris, & olere triclinium di-
cas. An vero fuit etiam in Archiepiscopi scribis auli-
coque ministerio barbaries eadem aeterno scilicet
principum dedecore, vt ipsorum consilia, & decre-
ta magnaue etiam liberalitates peruersa latinita-
te consignentur, quam infimi postea homines ri-
dent; ipsi decorum & formulam appellant. Sed,
sive finxerint diploma litigatores, sive scriba compo-
suerit imperitus, sive etiam Archiepiscopus ipse di-

Etarit, nequaquam id inane negotium & ea litteraria
 cura momentum habuerit inter summas illius viri vir-
 tutes, quibus meruit, vt à Nicolao Pontifice Maximo
 sanctissimus appellaretur, atq. adeo, vt suprema illa
 potestas in Engeldrudæ causa grauissimoq. iudicio se-
 queretur ipsius authoritatem. Engeldruda Mattifredi
 Comitissæ filia, Bossonis Principis vxor vetere magnarū
 domorū calamitate, moribus fuit impudicis, & libidinis
 in exhausta, ita vt neq. integrum muliebri decus in ma-
 riti penates attulerit, & postquam est deducta, tan-
 to licentius ageret in illo mulierum scelere, quanto
 iam ex velamine Matrimonij promptius inuitamen-
 tum erat. Primis connubij diebus pertasa legiti-
 mos viri congressus deligit adulteros sibi, qui forma,
 vel proteruitate placerent, statimq. dehonestamen-
 tum intellexit fama sagax, & deforme Bossonis caput,
 cum ludibrio, vel misericordia, digito prætereuntium
 monstrabatur. Ac audiebat quidem ille susurros, at-
 tonitij. familiarium vultus, & quacumq. incederet, in-
 dicantia nescio quid ora simplicem alioqui animum
 perstringebant; nondum tamen id quod erat suspicabatur,
 accideratq. ipsi vulgatum illud, vt matrimonij
 sui labem vltimus omnium sciret. Noto multorum
 errore, putabat, cæteris quoq. vilem vxoris formam
 esse, perinde atq. sibi ex quotidiana copia citra curam &
 sollicitudinem foret. Demum nocturnæ iuuenum in-
 troductiones, crebra per diem colloquia, legationes,
 mulierculæ, serui, munera, vel missa, vel accepta, fasti-
 dium quoq. conjugalis thori, blanda in publicū vxor,
 priuatim irata, & silens, aliaq. porro indicia flagitium
 ape-

aperuere. Antiquus, vt dixi, animus erat Bosoni, & sicuti etas in senectam, ita mores hominis ad clementiam vergebant. Humanam ratus esse culpam, in qua prolapsa esset vxor Engeldruda, corripit adolescentulam, obiurgat, que viderit ipse, que ab alijs delata profert, obtestatur ad extremum, ne suam miseram precipitemq. senectam infamet æterno dedecore. His dictis addit leniora facta, munera, largioremq. cultum, affatim pecunię, quasve alias maxime efficaces ad muliebri ingenium esse preces arbitraretur, addit e sua tenuitate quantum pōt. Sed illa nō erat opum auida, fastidiebatq. canos & rugas, & corpus, iam exangue mariti, ducebatq. mortis instar, si cum eo sibi confensendum foret. Simul detecto iam scelere nonnulla verecundia stimulabat animum, & fortasse suspectabat dolos. Itaque gliscens vnā cum varijs timoribus libido, consilium ab ipsa sumpsit desperatione, sublatisq. rebus abiit exul impudica, nullo iam impedimento quominus dictu audituq. pudendam ingluuiem explet, reuocante interim Bosone sordidis precibus, & fatigante Pontificem Maximum, vt sibi talis vxor, ipse redderetur vxori. Pontifex, quod presentissimum ei malo remedium putaret, id expertus, anathemate ferit Engeldrudam. Absoluunt eandem Archiepiscopi, Treuirrensis, & Coloniensis ausuq. temerario decretum Apostolicum facere irritum conantur. Hos igitur Thado defigendos esse diris, ob tale factum, & mouendos eodignitatis gradu cum scripsisset ad Nicolaum, permotus ille prudentia, & autoritate viri, litteras in id euulgauit plenas irarum, prefatusq. sequi se iudicium carissimi
simi

simi fratris, & sanctissimi viri Thadonis, Archiepiscopos damnauit. Id iudicium atque decretum, & ea summi Pontificis testificatio, & nomen illud amabile fratris, argumento sunt, defectionem illam, quæ ab Angilberto cœpta, sempiternam Ecclesiæ Mediolanensi latura notam erat, & mansura ipsa vsque in ducentessimum annum, nequaquam placuisse Thadoni, magnamq. gratiam illi cum principe sacrorum intercessisse quamdiu vixit in eo pastoralis munere. Vixit autem prope septennium tanto maiorem obsequij sui gloriam adeptus, quanto postea violentius egit successor Aspertus nomine, gente Confalonarius. Hunc non preces iratæ Pontificis Maximi, non diuturna dissimulatio, non minæ, non pœnæ, non demum illa potens flectere quamuis infensos animos, inter calamitates, & iras fiducia, versæq. spes in eum, mitigauere quominus in suscepta semel rebellione perseueraret. Sed præter insitam animo ferociâ, accendebatur prono in ipsum Regiæ totius fauore, memoriaq. recentis in Cæsarem beneficij, cum in ipso statim Pontificatus exordio, Carolus Caluum ferreo diademate coronasset. Ea ceremonia donasse Carolo Italiæ Regnum videbatur, ob res turbatas, & circa summam potentiam exorta principum certamina. Ticini coronauit Regem Anspertus, idq. vnum egit animo non rebeli, quod in ipso coronationis carmine dixit, sequi se Romani Pontificis iudicium, & auctoritatem, qui iâ ei detulisset imperium. Verba carminis in hanc sententiam fuere. Nos Anspertus Archiepiscopus, ceteriq. qui nobiscû hîc adsunt, Põtifices, Abbates, Regni proceres et Comarchi, perpetuâ tibi feli-

felicitem et pacem auguramur. Et quia Deo Opt. Max. placitum fuit, vt in Romani Imperij fastigium eueherere per Ioannem Pontificem Romanum, nos te, quod bonum felix, faustumq. sit, facimus Italię Regem, & lætis omnes animis iuramus habituros rata quęcunq. in hoc regali folio constitutus ad ecclesiasticę rei propagationem salutemq. nostram sancies decernes. Ea cūm Archiepiscopus dixisset, regiamq. coronam imposuisset capiti, publicas de more tabulas ipse subsignauit cæteri q. deinceps ordine subscripsere, quorum hæc nomina. Ioannes Arretinus. Ioannes Ticinensis. Benedictus Cremonensis. Theodulfus Derthonensis. Adalgarus Vercellensis. Azo Eporediensis. Gerardus Laudensis. Hilduinus Hastensis. Lendoinus Mutinensis. Hildradus Albensis. Ratbonus Augustanus. Filbertus Comensis. Adelardus Veronensis. Paulus Placentinus. Andreas Florentinus. Mutuum inde Sacramentum dixere, Anspertus & Carolus, vt alter alterum adiuuarent opibus suis, neq. res vlla tanti foret vnquam, quę dirimere conpirationem illam animorum posset. Ita creuere spiritus Archiepiscopo, & quia pulcrum putabat, inchoatam ab Angilberto libertatem longius prouehere, ac tueri, regereq. nemini præterea parentē Ecclesiam, cœpit omnia palam Romani Pontificis iussa detrectare. Sic ex iniuria paulatim inualescere posse ius ipsum arbitrabatur, & quę semel vsurpata forent, æternum mansura. At Romanus, quanto magis auersa voluntas Archiepiscopi, tanto lenius agere, cauere, ne ferocem illum animum exasperaret. Miscebat rerum opportunitati varias artes, & omnia, quę sapientia prouisa, quęque

inquit

quęque

quæue casus obtulisset, ad hominem sibi conciliandum
 anxia solitudine conferebat. Extant litteræ, quibus eū
 ipso dissidij tempore amicissime est affatus, semel, cū
 Adelardum Episcopum Veronensem extra Ecclesiam
 eliminasset, iterum, cū à Lamberto Spoletano Comi-
 te, aspera & indigna multa pateretur. Demum, con-
 uentu Romam indicto, cū cæteri obedienter irent vr-
 bium Episcopi, frustra exciuit Anspertum, nec apud
 illum animum iteratæ preces valere, quibus, ne dese-
 reret Ecclesiæ res afflictas, obsecrabat. Sed neq. Tre-
 centem idem, neq. Ticinensem antea conuentum obie-
 rat. Mox arcetur communione sacrorum; rursus pro-
 uocatur extremo paterni amoris conatu. Cū enim
 Vido quidam infestus Romano Pontifici, captis ex illius
 imperio admodum octingentis, manus ad Narniam
 præcidisset, atq. inter sauum ludibrium expirassent
 multi; quæsiuit Pontifex Max. ex eo casu, reconcilia-
 tionis aliquod initium, atrocitatemq. rei defleuit apud
 Mediolanensem, quasi priorum oblitus & spe in poste-
 rum noua. Nec monita, nec preces eum, nec seuera
 remedia, nec ad imum pene demissa principis autho-
 ritas cū sanare potuisset, relinquitur animi sui mor-
 bo, quem, virgente iam senio, corporis morbus est in-
 secutus, & moritur Anspertus, primus ab Angilberto,
 qui Mediolanensem Ecclesiam faceret rebellem. Po-
 suit templa, quæ manent adhuc D. Satyro, & D. Syl-
 uestro, fundauitq. Monasterium, cuius delectatus in-
 crementis, & disciplina legauit moriens ei, quicquid o-
 pum vltima potuit voluntate secum auferre. Archie-
 piscopo mortuo, satis vt appareret non iam esse curæ
 superis

superis ineolumitatem vrbis, quæ à Romani Pontificis obsequio maneret abrupta, laborauere Mediolanenses, & alium ex alio dominum sortiti, facile potuere malorum originem cognoscere ac detestari. Oppugnata vrbis & infeliciter defensa, tum dedita, & direpta, Magifredumq. pro libertate dimicantem, victor iratus affecit pœna, qua plectuntur fures. Has patriæ calamitates, & Ecclesiæ suæ contumelias, spectauere, Anselmus Capra, Landulphus Crassus, Andreas Lampugnanus, continuata secessione Pontifices, quam oderant iidem iræ cælestis metu, & pertinacibus in malum animis fouebant. Sane licet admirari, quomodo fieri potuerit, vt viri graues & probi, eaque commendatione ad Pontificatum euecti, dehonestarent seq. & patriam suam, tam fœdo negotio, quam nomen est in Ecclesia turpè diffidij. Sed in omni certamine, natiua mortalium animis est calamitas, libido vincendi, tum, si publica res agatur, si magnos inter viros, si vox illa capitalis & seditiosa libertatis fuerit obtentui, tanto magis ardescunt, & manant in posteros hæc mala, non secus atq. proximorum hæreditates adeuntur. Sic Mediolanensis Romano discors manebat, iamq. familiare malum erat adeo, vt pars neutra, quæ scilicet inferebat, quæue accipiebat iniuriam, sentirent altera quidem culpã, altera verò dedecus suum. Andrea Lampugnano Artho successit Oldradus, qui cum Ecclesiam hanc à Leone Quinto in Sergium vsq. tertium, non illi, non huic obediens administrasset, Sergio demum in Galliam eunti comes itineris fuit, nulla iam contentione dignitatis, & inueterata inter eos dissimulatione ac licentia. Iere

Gggg

cum

cum Oldrado plures e nobilitate Mediolanensi, quos officium in Archiepiscopū, quosue spes e Pōtifice Maximo traxerat, in eu comitatū. Ac fuerat læta species eius itineris vrbi, nisi Oldradus in itinere mortuus foret, cum reducem Sergium Romam vsque voluisset affectari. In Auentino Monte est sepultus, extatq. fragmentum inscriptionis, tumulum eum esse Athonis Oldradi, qui peragrauerit terras, æquora præciderit vt Sergium sequeretur, atq. in peregrinationis termino animam exhalaret. Id Archiepiscopi officium erga Romanum Pontificem, & in publico dissidio, coniuncta priuatim studia, tamq. constans & fida societas itineris, declarant, usurpato semel iure Mediolanensem Ecclesiam, pretium tenuisse defectionis, vt veluti desperata ipsa relinqueretur e supremo sacrorum imperio; amicitia inter Pontifices rediret. Ita Mediolanensis Archiepiscopus, liber agebat, & nemini subiectus, firmataq. potentia, Regiæ fortunæ simulacrum erat. Ac ne quid ex cruenta illa deesset imitatione, gessere paulo post, bella, Garibertus primò, deinde Lambertus, cæteri q. deinceps, prout, confociare cum alijs arma, vel iniuriam à se propulsare, vel etiam inferre, cogerent varijs casus, & notæ principum, cupidines aut necessitates. Sed Gariberto propter breue biennij spatium quo præfuit Ecclesiæ Mediolanensi nihil aliud actum, quàm vt Alberico Balbiano, Piceni partem obtinenti, mitteret peditum & equitum auxilia, quibus ille copijs auctus Sarracenos e finibus suis exegit. Lamberti bellicæ res maiorem campum habuere, totumq. decennium, quo tenuit Ecclesiam, imperatoriæ gloriæ plenum fuit. Initium tractandi arma,

ma,

ma, & turbandi rerum statum præbuit Archiepiscopo suspicio quædam ex Berengario Rege, cuius beneficio peruenerat in eâ fortunam. Cùm enim Berengarius detecta in suum eaput coniuratione, Oldericum vnum e coniuratis, ei custodiendum tradidisset, moxq. repeteret extremo supplicio afficiendum; negare ille probi sese Pontificis officiũ facturũ esse si dederet quemquã ad supplicium; tum religionem in eo, tum famam atque sermones hominum excusare. Rex alte condiderat iram, pretiumq. fuit Lamberto, quærere aduersus eum effugia vel munimenta. Ita dimisso Olderico sese coniuratis immiscet, excitumq. Rodulphum Italiæ regem coronat. Id initium belli, quod gestum est varia fortuna, dum Berengarium primò, deinde Rodulphum ipsum pellit, verso in Hugonem fauore. Vertit autem Lambertus à Rodulpho in Hugonem studia, quia conspirantibus in illum, quos Berengarij desiderium agebat, & occupata vrbe Ticino, vindicare regnum aggressis, cesserat confestim hosti seq. pro illo dimicantem eluserat. Restitit Archiepiscopus tamẽ, regnumq. quod Vgoni traderet, defendit, atque tam molli regis animo grauius iratus, vicissim eum illudit, cùm audito Hugonis motu trepidus ad selegationem misisset. Legatus erat Bucchardus ipsius Rodulphi focer, natione Sueuus, qui principatum inter suos obtinebat. Is, cùm ad vrbis accessisset mœnia, rei diuinæ causa diuertit in Laurentianam ædem, inde vadebat eques lustrans oculis cuncta dissimulanter, & inspiciens aperta munita, nata insidijs, apta munitioni, statimq. designarat condeudæ locum arci, quam ceruicibus imponeret vrbis,

Gggg 2 foreq.

fereq. validissimam auguraretur. Non potuit barbarus tacita destinatione gestientem animum continere affatus in hæc verba qui proximi equitabant. Nisi genus Italicum in id redegero, vt cantherijs humilibus vehantur cum vnico tantum calcari; tum me esse Bucchadum negatore. Confestim eam vocem ad Archiepiscopum defert ex infima plebe homo, qui lacero corporis tegmine, cum cætera turba spectandi studio, aduenam sequebatur. Ille dissimulata in præsens ira, regio legato venienti comiter longo cubiculorum ordine procedit obuiam, accipitq. cum honore verborum, & solita illa etiam inter principes tergiuersatione, vt limen attigerant, vt inierant ostium, vt colloquij causa processerant in sedem. Adhibet inde conuiuio, xenijs colit, & multimoda detinet arte, donec properis litteris monuit promptissimos e proceribus, Bucchardum specie legationis explorabundum aduenisse, minitari iugum atque seruitium Italiæ, idq. iactare palam inter suos, si patriæ, si libertatis vlla sit cura, ne cunctarentur hunc morte adficere. Facile iam calentes inflammarat, opprimiturq. Bucchardus apud Nouariam in reditu, cum trepidans illic ob tumultum equus eum in fossam effudisset. Interim adfuit Hugo; quem Archiepiscopus Italiæ Regem creat, neq. vidit res prosperas illius, & auctam ultra priorum Regum opes, maiestatem, anno non toto superstes coronationi. Hilduinus Tassonus erat in Gallia materna stirpe coniunctus Hugoni, & ex D. Benedicti formula solitariam olim vitam amplexus, postea productus inde ad Ecclesiæ Laudociensis gubernacula. Hunc seditione pulsum à suis Hugo Veronæ Episcopum

scopum fecerat, mortuoq. Lamberto, Ecclesiam ei Me-
diolanensem nominat, ac effusa in affinem liberali-
tate, priorem eius locum mandat Ratherio gregis eius-
dem Monacho, quem ille veteris contubernij memor-
vnicè commendabat. Sed Ratherius, cum ob id bene-
ficium hanc postea Regi gratiam referret, vt eum cona-
retur exturbare Regno, missus in exilium, Ticini con-
senuit, amisso Pontificatu ob ingratum animum, & no-
uarum rerum cupidinem. Hilduinus Archiepiscopus
propinquo Regi ad extremum vsque fidus mansit, &
cum in ille Lotharium filium, in regni societatem assu-
meret, obuia facilitate detulit coronam. Vir fuit pacis
quam belli cupidior, & retinens innocentiae quam e
claustris attulisset. D. Dionysij peregrinationem, &
& Apostolica gesta posteris memorauit, quod otium &
alienis rebus impensa cura, vt tam pauca de ipso me-
moremus facit; sed neq. Pontificatus ei fuit vltra quin-
quennium. Rex Hugo suffecit Ardericum Cottam, qui
nimium amica multorum animis obliuione beneficij, sese
partem ferat aduersae in illum factionis, alterumq. Be-
rengarium veteris Berengarij sanguinem ad spem coro-
nae, Verona Mediolanum euocauit, quo negotio, res
Hugonis ad vltimum redactae. Berengarius hic, primo
suspectus Hugoni, tanquam aui ferociam retinens agi-
taret plusquam ciuilia, dein ob suspicionem electus, cui
fidei pignus fratris filia in matrimonio collocaretur,
postremo [qui fere finis, in regia praesertim fortuna,
coniugiorum eiusmodi] petitur ad necem. Dum fugit
insidias, inuenit regnandi principium, extorremq. iu-
uenem instrumentum habuere qui nouari res cupiebant;

nec

nec ille segniter agebat. Alias alia ratione difficultates superarat, inuaserat loca, ceperat arces, conciliauerat principum studia, populorum voluntates, adeptus quoque Manassem trium Ecclesiarum Antistitem obiecta spe Pontificatus etiam Ambrosiani per Adelardum Clericum, qui magno illi nundinatori rerum sacrarum erat interpret & proxeneta. Sed Cottæ Archiepiscopo nostro, quid obiecerit haud comperi. Magna certe res, pretium ingens debuit esse, siquidem tanti nominis Pontificem iam obstrictum Hugoni paremque Regum opibus potuit corrumpere, ut illum, cui tantum debebat euerteret e rerum fastigio. At Hugo tristi nuntio accepto, Lotharium filium supplice habitu Mediolanum misit, doctum his precibus noui Regis, & Archiepiscopi misericordiam tentare; Si quid Pater forte commouisset; at respicerent innoxiam suam ætatem: haberent se vel in filij loco, vel in serui, quandoquidem, & parentes eos, & dominos ipse sibi destinaret. Iuuenis erat primo ætatis flore pubescens, perueneratque Mediolanum eo ipso die, quo Rex nouus in Ambrosiana æde collocato solio, munera, & præfecturas in suos diuidebat. Ibi regius exul in celeberrimo conuentu crucem amplexus & meditata proferens verba mouit animos, atque in pristinae fortunæ speiem est acceptus. Paulo post moritur Ardericus Cotta, tanquam liberaret ipsius Berengarij fidem, qua se Manassi Mediolanensem Ecclesiam esse mandaturum iurarat; & fortasse tam opportuna mors Regale ingenium fuit. Manasses erat ille, qui auido sacrarum opū animo, & temporum illorū licentia, treis Ecclesias, Mantuanam, Tridentinā,
& Ve-

& Veronensem amplexus, multorum hominum honores, & alimenta detinebat vnus, cumq. quartam hanc Mediolanensem spe & cogitatione deglutisset, in voracissimum eam demittere ventrem gestiebat. Is igitur ex antedicto creatur Archiepiscopus Berengarij Regis fauore, sed Clerus, populusq. Mediolanensis Aldemarum opponebant. Inde mira varietas in vrbe, neuterq. interea iustus legitimusve Pontifex habebatur cum tamen omnia Pontificatus munera vterq. certatim vsurparent, donec Aldemaro mortuo, solus Manasses Ecclesie res traheret. Rursus ei Valpertus Medices committitur; qui propero Manasses sine, sine aduersario paulo post manet. Huius negotia turbulentis initijs gloriosos exitus habuere. Namq. Berengarius, memoria Manassis infensus ei, non suarum partium hominem oderat regio more, carpebatq. ministrorum artibus, qui gratificari Principi damna, & iniurias Ecclesie, vnicam crescendi occasionem norant. Atque tam saeva illa fuit infectatio, vt Germaniae Regem Othonem, per litteras primo, & nuntios aduersus impium, crudelemq. dominatum implorauit: deinde quia non satis mouebat, ierit in Saxoniam ad Regem ipse, expositaq. calamitatum summa, promiserit, si veniret ad liberandam Italiam, se Regnum ei delaturum esse. Comites itineris quae fugae similis habita est, Valdo Comensis Episcopus, & Odbertus Demarchus fuere; simul Romana venerat legatio, pari in Berengarium querela, & promisso, facileq. tot inuitamenta tot preces Othonem in Italiam adduxere. Mediolani cinxit eum Archiepiscopus diademate Regali, quod remunerans meritum Otho donauit Ecclesie

Ecclesiæ Mediolanensi Parabiagi dynastiam, & Seprij, & Marthesij, Bazariæ quoque & Burgariæ, quæ loca Regibus ad eum diem paruerant. Ac, vt noui Regni liberalitas & magnificentia ciuibus quoque sentiretur, tam in vrbe, quàm in agro, creauit Capitaneos & Valuasores, quæ primò fuerant, honoris vocabula, postea cognomenta familiarum fuere. Tum dedit Vrbi Duce[m] Boniciu[m] Scrofatu[m] Ianium, siue magnam aliquam in arte sordida virtutem eius hominis secutus, siue fatali multorum insania, qua eondecorando quilibet humani generis, magnæ aliorum nobilitati, magnisq. meritis & virtutibus illudere sic amant, ac interim irridentur ipsi, ob infidos deniq. talium animos, & importunæ liberalitatis exitu sæpe tristi. Bonicius hic Scrofatus ex Ianio Dux Mediolani potuit repente mutare faciem atq. fortunam domus habitumq., vt obscura prius omnia & fœda in penatibus, cultu niterent nouo, ipseq. adeo, siue matris scelere, siue nascendi sorte, grauis, & decorus, tam pulchre cum purpura, & sceptro staret inter principes viros quàm antea reductis ad cubitum manicis, & alba cum exornide inter sui gregis homines eminebat. Sed ijdem mansere mores, quos hauserat ex bestiarum extis, neq. ipse naturæ ordinem immutauit, Regis, & Reip. proditor, & ob flagitia peremptus ferro. Sed principio compositus in omnem simulationem obsequij, deuinxerat Othonem adeo, vt mortuo interim Valperto, filium ipsius Arnulphum in Ambrosiana collocaret sede, atque ita, res vniuersa Mediolanensis in potestate Ianionum esset, cùm hinc profana Bonicius pater, hinc sacra filius Arnulphus obtineret.

Hic

Hic est Arnulphus ille, qui plurima cum nobilitate magnoq. Pontificum numero destinatus ab Othone Constantinopolim, Thorphaniam impetrauit & deduxit, retulitq. nobile munus ex ea legatione, serpentem æneum, quem ex Mosaico diuino conflatum ære, vulgo Mediolanenses autumant illum esse, de quo in descriptione Ambrosianæ ædis memorauimus. Bonicio duci præclarum videbatur, in sua domo, sacræ rei regimen, & ciuitatis principatum esse; neq. dubitauit, quin mortuo paullo post Arnulpho, & mox Gotifredo, Landulphum e filijs minimum natu produceret in spem eandem, atque per eum continuare in familia Pontificatû conaretur, onerans interea mendacijs Othonem, & iâ affectus, vt quicquid ipsi priuatim expediret, id etiam Cæsar crederet vtile Regno. Sed siue fuerit aliquid labis in ipso Landulpho, qua labe mereretur ciuium odia, siue inuidia parentis offecerit, confestim, & Clerus vniuersus, & ciuitatis principes Archiepiscopum eum adspernantur. Bonicius enim vero prosequitur iniuriã, eoq. sæuiente, clade paucorum attoniti omnes, quem antea spreuerant Pontificem acceperunt. Malum fidei diuturnitatisq. custodem esse timorem gnari ciuiliu rerum sciunt, iamq. matura in Boniciu erat pœna flagitiorum, & post enormem fortunæ ludentis indulgentiam, iusti aliquid, & seueri iam appetebat. Mantegatius eum quidam æstiuo die cum meridiandi causa iaceret, obruncauit. Ea res Landulphum accendit ira, cuius effundendæ viam quærens, summa ope tetendit, vt Reginaldo fratri paterne fortunæ locum obtineret.

H h h h

neret.

neret. Id ubi varie apud Cæsarem prestando, & ambiendo est affecutus, in reliquos fratres partitur munera, quorum munerum dispensatio ea tempestate penes Archiepiscopum erat. Guiciardo Licinifori præfecturam attribuit, Benzono Missaliam, Vbertino Marignanum, Guastallam item eidem Vbertino beneficiario iure concessit. De cæteris haud ambigitur, pro Benzono Pirouanum scripsere nonnulli, & habuit ea rata Cæsar, auratoq. diademate largitionem eam firmavit. Manebant adhuc insensu mutuis odijs Episcopus, & ciuitas vniuersa, & cum Episcopus patris persequi necem, tum ciues reculare Episcopum pergebant, neq. potentis familiæ opibus & authoritate deterrebantur. Inde versus in extrema remedia Landulphus Cæsaris inuocat arma, & enixe rogat, vti suum tueri beneficium velit, quod eripere sibi factiosi homines conentur. Itaq. ille subacturus damno malisque ciuitatem, cum exercitu venit Mediolanum, & ciues, ne intra mœnia bellum expectarent, obuiam iere, dimicatumq. est ad Carbonariam acri magis quàm diurno prælio. Duplex inde fama est. Alij fusos Mediolanenses petijisse pacem cõtendunt; plures æquis manibus abscessum, & Cæsare tædio diurnæ obsidionis cum segnis intactis assedisset muris, Romam ad capiendum diadema tetendisse. Sed siue incerto Marte prælium fuerit diremptum, siue soluta obsidione Cæsar abierit, illud certe constat, Landulphum mala libidine Pontificatus inuadendi, quod vi non poterat, gratia & largitione tentasse. Vocatos ad se principes ciuitatis, vt infectandi sui finem faciant

faciant appellat; satis iam irarum, & contentionis, satis quoque damnorum ex vtraq. parte. Se patre amisso funestam habere domum, illos expertos esse publica clade, quàm non suarum virium esset aduersari Cæsaris voluntati, & illius acta rescindere. Proinde rationem aliquam inirent, qua neutra pars victa esse videretur, & vtraq. tamen frueretur victoriæ bonis. Id adeò conuenire posse, si quàm ipse publicæ pacis, & otij cupidus sit, tam illi equissimæ pacis accipere condiciones velint. Iussus inde promere quænam afferret animis delinimēta, primoribus decumas in bona plebeiorum offert. Ea res accepta cum ingenti approbatione, scriptæq. tabulæ, & auctoritate publica obsignatæ monumentū fuere. Haud vltra quisquam Landulphi honorem oppugnabat, eumq. pro legitimo deinceps habebant Pontifice ac pastore. Cæterum, quia, non vt hominum animi placantur, ita conscientia malefactorum lenitur hærebant stimuli perennes animo, mentemque sibi prauæ consciam requiescere non patiebantur. Subibat æternæ iustitiæ reputatio, violatæ plebis iniuria, scelus empti Pontificatus, pœnitentia, dolor, humani diuiniq. terrores, & tot simul animi moribus irrequietus pauebat vmbra, & veluti suum in caput intenta tela. In ea consternatione, cum vias omnis placandi Numinis tractaret, Diuo Celso martyri templum extruxit, & sicuti pollebat opibus, attribuit ei Templo fundos, & vectigalia, queis fratres alerentur nocturnæ diurnæq. psalmodiæ causa constituri. Atq. id leue piaculum ratus, cum iam vrgente senio supremis appropinquaret, elegit sibi destinariq. sepulturæ locum, quæ templi

limina quotidie calcantes populi, temerata simul offi-
 & viles exsuuias premerent. Et Landulphus quidem
 hisce cælestibus humanisq. rebus, cum popularium vi-
 tauit offensionem, tum æternæ salutis prospexisse est vi-
 sus. Principes ipsi, qui pretium concessi Pontificatus
 decumas & obnoxia bona plebeiiorum habebant, in sua
 castella dilapsi vitauere turpi latebra populares impe-
 tus, & ex odio publico pericula, donec memores æqui-
 tatis & recti spontè decessere possessione, & quod tueri
 nequibant, omiserunt. Sed anteqtam in eam necessita-
 tem adigerentur, multæ vtrinq. factæ sunt iniuriæ, mul-
 taq. tum exempla superbix nobilitas edidit, tum plebes
 irarum & furoris. Landulfo successit Arnulfus alter
 Arciagus cognomento meliore iam Ambrosianæ sedis
 fama, & generi suo non dedecorus. Is Pontificatus ini-
 tio, cum Ardoinus Eporediæ dynasta Othone mortuo
 procerum autoritate, ac fauore regnum inuasisset, tum
 suam eam, tum communem Ecclesiæ Mediolanensis in-
 iuriam ratus, si alius Italiæ Rex fieret, quam quem ipse
 cum suis ex vetere D. Gregorij Pontificis decreto, in id
 fastigium assumpsisset, conuentum habuit Episcoporum,
 & addicato Ardoino, Henricum Bauariæ Ducem, Italiæ
 Regem dixit. Inde bellum exortum, cuius victoria
 principio penes Ardoinum erat, iamq. ille pulsus Henri-
 ci copijs, vrgebat Mediolanenses, & opulentæ prædam
 vrbis, & nomen & imperium infestus appetebat. Tunc
 Arnulphus Arciagus, vetere iam & quotidiano Ponti-
 ficum instituto, pro suorum salute sacram potestatem
 immiscuit armis, & quem non domestica, non externa
 arma propulsabant hostem, hunc ipse plenum dedeco-
 ris,

ris, ac ignominia retro viderat, compulit, eoq. tempore labantem patriam Ecclesiae opes sustentare. Erat Arnulphus miti admodum ingenio, eaque pars morum ipsius, mouerat virum, ut mallet omnia prius experiri, quam praeditus augustissimo Sacerdotio tractaret arma & bellum, iuxta luctuoso ac tristi, siue inferret, siue acciperet cladem; & humano sanguine temerare sacra, etiam si victoria sequeretur exitium putabat. Cum ita esset affectus, anxioq. solitudine, circumspiceret omnes vias, quibus prudentia & lenitate periculis obuiam iret, urbemq. consilij incruentis eriperet hosti; vertit eo demum, ut quoniam mollia tentamenta nullum exitum inuenirent, at alieno potius quam suo Marte rem gereret, neq. penes ipsum, tantae fragis quantam apparebat fore, staret culpa. Eae primae Pontificis fuerant curae, idq. non segni quidem, sed pastoralis animo consilium Arnulphus voluebat. Itaque legatis in Germaniam ad Henricum missis, ut imminentem clarissimae urbis excidio Dynastam coercere velit obtestatur. Pertinere ad illius nominis, & imperij magnitudinem eam curam, ne qua vlli fiat iniuria; & Mediolanenses ipsos, praeterquam quod sint in Caesaris tutela & fide, ita de ipso meritos esse, ut hosti diro praeda non debeant relinqui. Haec & alia, quae in historiam non peruenere, memorando Pontifex Arnulphus Caesarem impulit, ut Mediolanense nomen ab Arduini conatibus esse defendendum putaret. Tum urbis claritudo, quae magnum ad omnia momentum obtineret, tum Arduini gliscens quotidie magis impotentia, & furor animum stimulabat. Coacto sine mora exercitu descendit

in

in Italiã signis in festis, & cõfestim ad ipsa mœnia succedens vr̄bis Mediolani, deijcere inde hostẽ parat. Sed ille, successu rerum elatus, tum suo pte ferox ingenio, virib. quor. non dispar, & super omnia, tantæ spei stimulis, ac ex uersõ, dedecoris metu, præceps in vltimi discriminis aleã, haud cunctanter ab vr̄bis obsidione vertit in ipsum Cæsarem arma, & dum vinci turpe, ac flagitiosum putat, vicit. Tradunt temporum illorum auctores leuib. primò certaminibus aliquandiu dimicatum fuisse, neutrò magnopere spẽ inclinante fortuna, cum ex hac, vel illa parte, numero pares, & virtute præcipui, paria damna vicissim acciperent inferrentq. vt ira, vel occasione, vel Ducum iussu congregarentur. Mox vniuersas vtrinque copias sub vnum fortunæ ictum datas esse; victum Cæsarem, victorem Arduinum, & acrius de integro bellum vr̄bis mœnibus institisse. Certè Cæsar in Germaniam reuertit ab eo conflictu, nec vltra pro nobis dimicauit. At Arnulphus, postquam id auxiliũ quod vnicum fuerat, cecidisse ad irritum videt, anxius patriæ solitudine, & caritate, quæ in vltimum adducta discrimen, ipsius dexteram, ipsius arma veluti mutis precibus inuocaret; haud distulit, quominus opes Ecclesię cum afflictis ciuium rebus confociaret, seq. daret exercitui caput, vi sua straturus hostem. Is profecto in Germaniam Cæsare, dilapsa cernens auxilia, quę foederatę miserant vr̄bes, partim foederis pretium, partim erga principem officio, ab negligentia & securitate, quã secundę res creant, cum parte copiarum ierat Ticinũ, ibiq; tanquam in pacato victorię præmijs fruebatur, & festum proximo certamine militem refouebat. Itaq;

secor-

secordiam Arduini suam occasionem ratus Arnulphus, noctu quàm potest occultissime Ticinum subit infestus, atq. tam arcta urbem eam obsidione cingit, vt Arduinus haud alibi quàm infuga spem salutis habuerit, corruptisq. vigilibus, aut deceptis [vtrumq. enim traditur] per intermissa custodijs loca protinus Eporędiã terenderit. Inde veteribus refectis, nouoq. conscripto in supplementum milite reparat bellum, Nouariam, & Vercellas capit, aliaq. porro loca ferox appetebat, cùm Arnulphus idem iterum congressus, alienæ raptorem ditionis ita fudit, vt ne receptus quidem ei suos in fines vltimus relinqueretur. In obscuri nominis monasterium vitandæ celebritati ac frequentię, cùm sese recepisset, extabuit ibi solitudine ac mœrore, qui sequitur aduersas res, & ingentes interdum animas. Ac Arduini quidem rerum, & vitæ finis hic fuit. Cæterum ipso extincto, reliquię furoris manebant, indeq. noua glorię seges Arnulpho, & Ecclesię Mediolanensi nouum decus. Hastam urbem, sicuti nunc tenet, ita complectebatur olim Ambrosiana Metropolis auctoritate ac iure, quo prouinciales cæteras obtinet, ac regit. Fius vrbis Episcopus instigante nimirum Arduino, & Archiepiscopi dignitatem ac iura, quibuscunq. posset modis carpente ac lacerante, fortasse etiam spargente in Ecclesiam semina dissensionum, & inter ipsos Pontifices odio locum quærente; is igitur Episcopus in Arduini gratiam spreto ac neglecto Metropolita, absq. ipsius auctoritate Pontificatum inierat, eumq. honorem per Ambrosiani nominis iniurias, vti sese initia dabant, esse acturus videbatur. Iam contumacia intolerabilis erupbat,

pebat, siue indicta consilia non obeundo, siue rerum aliarum neglectu, quibus rebus, agnosci ab ipso, & coli Mediolanensem Archiepiscopum oporteret, neq. verò præfractus tantum ad audendum erat, sed etiam ad vim parandam, concitandosq. populares acer & potens, idemq. prouisu periculi, & conscientię stimulis actus in præcipitia, & abrupta, pararat exercitum, quem opponeret Arnulpho, si ille armis exsequi ius suum vellet. In hunc hominem, his alijsq. præterea modis insultantem Ambrosiano nomini, mouit Arnulphus arma, breuiq. compulit in eas angustias, vt Mediolanum proficisceretur, atq. ibi nudis pedibus ad Arnulphi stratus pedes imploraret errori veniam, peteretq. precibus infimis, ne se supplicem ac miserum adspernaretur. Ea consternatio, eaq. preces facile Pontificem Arnulphum mouere, & grande modò pecunię pondus multę nomine cum imperasset, veniam ipsi ac incolumitatem concessit ea lege, vt sisteret supplex ad D. Ambrosij aram; atq. vel ad futuri obsequij pignus, vel ad præteritę culpę piaculum, ritè ibi solennibus ceremonijs initiaretur. Spectaculum fuit gratum vniuersę multitudini, & ex multatitia illa pecunia crux locata est, quę aduersus eui tabem refecta hodie semper manet. Ardoino extincto, reconciliato Hastensi, Pontifex Arnulphus, Hugonem, & Berengarium reliquias belli fregit, eorumq. bona attribuit Ecclesię Mediolanensi. Inde vertit in Cremonenses arma, quia iuuissent auxilijs hostem, eosq. subegit malis vt in Mediolanensis populi potestatem venirent. Nec diu postea superstes ipse Arnulphus fuit. Post Arnulphum Eribertus potitur Ecclesię

clisæ Mediolanensis, Intimiani [vicus est haud procul ab vrbe Nouocomo] Gherardo, & Brillienda parentibus ortus. Nobilitas huic & maiorum bona facta cùm iam animos facerent, auxere congesti in ipsum honores, prouentusq. secundarum rerum, vt vigeret plura, quàm authoritate, populisq. terrorem armati Pontificatus inijceret. Prima noui præfulis gloria fuit coronatus Cæsar, cuius cæremoniæ splendore ac pompa iâ assueti tali spectaculo ciues rursus animos ad sacræ dignitatis admirationem erexere. Mediolani in D. Ambrosij æde Conradum Eribertus euinxit ferreo diademate, magna præter urbanum, & municipale vulgus frequentia gentium externarum, quas partim legationum officia, partim visendi cura spectatrices dedit. Mox inclaruit Eribertus alterius conuentus celebritate, quo in conuentu præcipuam libertatis, & constantiæ famam est consecutus. Nos ea de re sic accepimus. Initia principatus, Conrado, vt læta priuatim, sic turbulenta in publicum fuere, translatisq. non sine magno tumultu rebus nouum Imperium attonitę gentes aut horrebant, aut metu paulatim vertente in contemptũ aspernabantur. Itaq. cura & solitudine componendi turbidos, & ad securitatem excitandi, quę fermè obsequij esse vinculum solet, Concilium Episcopum Conradus habuit. Per eos assequi se posse nimirum confidebat, vt firmum Imperium, & stabilem pacem haberet. Patres ad Ronchaliã conuenere, Insubres, Romani, Galli, & inter alios ex alijs quoque terris pars magna rerum atque Consiliorum Eribertus ipse. Item Regni proceres adfuere, quos ad ea negotia consultanda

Cæsar aduocasset. Ibi Ticinensis Eusebius ab insito fortè factu ac leuitate trophæa crucis insigne Pontificium vsurpabat, fremente grauissimo quoque quòd non ille conspectum Cæsaris, maiestatemve Concilij reuereretur. Sed magis omneis taciti præposteram hominis ambitionem increpabant, quàm obuiam ire quisquam vnus audebat. Tunc Eribertus palam Eusebium obiurgauit intempestiua pompa lasciuientem, ignarum cæremoniarum, & consuetudinis, contemptorè augustissimi confessus, addiditq. credo alia, quæ scriptoribus haudquaquam facilia relatu præsens indignatio potuit subijcere. Is Eusebio finis licentiæ, & Eriberto nouæ gloriæ principium fit. Namq. Cæsar captus admiratione viri, quem animo vel ingenio nulli secundum putaret, indulgit ei super cætera honora, & magnifica, vt Laudenses ab ipso Episcopum peterent cum annulo & pedo quæ munera Cæsaris ad eum diem fuissent. Id iuris Eribertus vsurpare cùm vellet occasione commodum oblata, pastorem animarum Laudensibus imposuit Ambrosium nomine spectatum doctrina simul & vita, & Basilicæ Metropolitanæ Collegio, in quo laudis vtriusque sæpe specimen dedisset. Nouus Episcopus, vbi Laudem Pompeiam ad capessenda Pontificatus solennia demore processit, obuiam egressi primores, iubent ipsum retro vnde venisset, abire; ni faciat, pro honore calamitatem habiturum. Nec Ambrosius contra rebelles & obstinatos diutius tetendit; quæ sibi denuntiata sint, absque mora nunciat Mediolanum Eriberto. Ille vi maloq. subigendos ratus, quibus tam proiecta, & vilis authoritas esset, copias admonet vbi,

eoque

eoque terrore facile Episcopum in sacra collocat sede. Ad templi valuas ijdem illi principes nobilitatis reliqua circumfusa plebe iurauere in verba Pontificis Eriberti, quantum antea contumaces ac proterui, tantū in præsentia compositi in faciem obsequij, & quietis. Sed in metu præsidij parum ad fidem semper fuit, & vbi aliquid expressit hæc machina, confestim pœnitentia subit, ingeniaq. facillime reuoluuntur in suos mores. Postquam per conciliabula, perq. seditiosos cœtus reputauere Laudenses ex æmula petitem vrbe regimen, exarsere nimirum animis, & solita inter accolæ odia pro se quisque onerantes huius commemoratione probri, exitiabiles iras ab Eriberto, & Ambrosio in Mediolanense nomen vniuersum auertere. Ex eo tempore iniurijs ac temeritate certatum inter vtrūque populum est, resq. propè belli formam venit, ex quo bello vsus & ars & potentia in alia quoque bella sensim accreuit Eriberto, & simul versa in Cremonenses arma. Gens ea meruerat iras fouendo rebelles Ecclesiæ, Berengarium & Hugonem ijsq. mittendo auxilia, queis Pontificiam authoritatem oppugnatum irent. Nec diu sustinere vim Ecclesiasticam infelici temeritate. Victor Eribertus fuis fugatisq. perduellibus, eorum receptacula Mercurianas valles Douerianæ genti sibi per affinitatem connexæ parere in perpetuum iubet. Excepit deinde ipsum discordia ciuilibus, & causa malorum, quæ illa tot per annos ætas vidit. Valuasores, & Capitanei magna nomina, de quibus antea dictum est tunc erant in vrbe specimina partium, & quocunq. fidem ac fauorem inclinassent, grande mo-

mentum. Hofce cū appellauiffet Eribertus, vt in fua
 verba iurarent, primò illi tergiuerfari callide, diem ex
 die ducere, prorfus ludificari Pontificem; mox vt quo-
 tidiana premebantur efflagitatione, palam abnuunt,
 feq. dicturos effe Sacramentum negant. Et poftquam
 ora animosq. in id ipfum obdurauere, transgrediun-
 tur ad infeftiora, infidiatoriq. libertatis fuæ [sic enim
 infeftantes appellabant Eribertum] vltro necem ma-
 chinantur. Placuerat graffari veneno, fed non pro-
 cedebat, quia multo rerum humanarum vfu intentus
 ille ad cauēdas infidias dolo non dabat aditum, eratq.
 de illo fama, tamquam et remedijs corpus, & minifteria
 menfę fidis custodibus muniret, ne qua tabe, quippiã
 aut inficeretur, aut infectum letaliter in venas pene-
 traret. In aperto vis & gladij ob raras egressus, & fre-
 quentem comitatum nihilo magis erant expedita.
 Igitur aut fuperne deiiciendum aliquid, aut fi noctis
 beneficio penetrare in eđes poffent, frangendas laqueo
 fauces, vel condendum in viscera ferrum ftatuebant.
 Dūm has aliasq. porro necandi vias tractant, indicium
 ad Eribertum eft delatum, moxq. vindicem metuentes
 fuga salutem petiere. Quidam caufa cognita damna-
 tos & pulfos tradunt. Vtcunque ea res habuit, fedem
 præbuit exilio Laus Pompeia, tamquam veteres iniu-
 rias vlciſceretur infefta femper Ciuitas Eriberto, & ha-
 ud vnquam poſitis odijs, ex quo ſemel exarferant. Ibi
 Valuafores & Capitanei quotidie magis in honore ha-
 beri, miſceri conſilijs publicis, & ſi patriam ingratham
 Episcopumque communem hoſtem perſequi vellent,
 prompta Ciuitatis arma iræque & accerrima tela pu-
 blicus

blicus dolor ostentabantur. Nec Seprienses & Martesani valida municipia stimulis, & pollicitationibus abstinebant, siue misericordia in exules, siue in dominam urbem odio & contagione Laudensium irritati. Sanas quoque mentes & quietas hæc tot coacta in vnum inuitamenta gerendæ rei perturbassent, nedum illi turbidi ac profugi temerariq. cupidine cædis, & sanguinem Episcopi sitientes oblata auxilia, & diros hortatus adspernarentur. Obligantur execrationibus & arctissimi foederis vinculo, ne se pars vlla dirimat ab ope mutua, ne desint socijs & publicæ libertati, utq. consociata causa vitam quoque & sanguinem, non secus ac si vno cunctis ore spiritus trahatur, statuunt in commune. Inde Castellum ædificant propriam Valuasoribus Capitanisq. sedem. Id abs re, quia nimirum patrijs emoti sedibus essent, Motam appellant, ac exules ipsos, quod nunc quoque genti nomen manet Motanos dicunt. Ita deinde visum potenti rerum Deo, neque vanum, & irritum id esse foedus, & Eribertum tamen maturo prouisu obuiam egressum inde victorem redire. Manet in hunc diem funesta memoria Pontificalis Machinæ, quam Eribertus furori rebellium opposuit. Currus erat ingens, quem quaterna bouum iuga trahabant. Medio curru solium attollebatur, solio malus eminebat cum multiplice funium hominumq. ministerio. Vexillum album punicea cruce distinctum sublimè volitabat; versicolore stragulo clitellati boues erant. Regimen vniuersum penes vnum, quem electum ab integritatis & prudentiæ fama cohors vniuersa venerabatur in parentis loco. Sacerdos ante currum

quotidie

quotidie rem diuinam faciebat, buccina signum dabatur, singulis erant stipendia constituta, vt cuiq. gradus & ordo, vt munus, aut labor. Hoc in hunc modū adornato curru, sæpe cum multo suorum sanguine dimicauit Eribertus, ceciditq. ante alios Vldericus Hastēsi populo pastor animarum. Enimverò, cū gliscerent hostes, nec iam Mediolanensis, aut viribus, aut numero par esset, consilium cepit Eribertus, vt sibi prosperum ac salutare, sic perniciosum hosti. Namq. vbi videt inclinatum esse rem, & rebellibus quotidie magis è successu ferociam crescere, externis auxilijs adiecit animum opemq. Cæsaris implorauit. Ita perduelles ab duobus coniunctis exercitibus circumuenti cæduntur, capiuntur, fugiunt. Is bello finis atrocius repente bellum excitauit, & auxiliariæ Cæsaris vires in ipsum mox Eribertum iacubuere totamq. rem grauissimi scriptores in hunc ferè modum tradunt. Cæsar compositis rebus, & firmato pontificatu iam inibi erat, vt discederet ab vrbe Mediolano, cū eum fortè cupiditas incessit, cognoscendi alius quibus causis id bellum exarsisset. Vt autè cognouit initium turbandi omnia ortum ex eo esse, quòd impositum ab Archiepiscopo Mediolanensi pastorem Laudenses aspernarentur; eo nimirum dolore Coloniam incensam receptaculum primò deinde opè præbuisse coniuratis, statuit priuilegium abolere quòd indulgisset, ne quando aliàs inde semina discordiarum existerent. Heliprandus tunc erat Mediolani summe vir auctoritatis præditus amplo Sacerdotio & caritate patriæ cum primis acer ac violentus. Is periniquo ferens animo ius illud ereptum esse ciuitati, cuius possessio

possessio per tot damna & cædes vsurpata nuper foret,
 exarsit nimirum iracundia, facileq. nobilitatem vni-
 uersam sui doloris implet. Profectò si sit animis vigor,
 si spiritus gerant eos, quos utique à maioribus accepe-
 rint, demendam nòmini Ambrosiano hanc ignominiã
 & labem. An verò pati quicquam superbius aut indi-
 gnus potuistis, inquit, quàm vt dato in perpetuum mu-
 nere statim exueremini? quid hoc censetis fuisse aliud
 nisi ludibrio habita sacra Pontificemq. nostrum, & sicut
 in scenam inducitur clarissima plerunq. persona, quæ
 mox fœdata calcibus & pugnis populo spectaculum
 præbeat, sic nos honestatos hoc munere, vt mox illud
 ipsum ad hostium pedes abijcere per ignominiam iu-
 beremur. Bellum vobis indictum est hac contumelia,
 magno eius malo, qui indixit, si viri estis. En ipse ego
 adsum dignitatis vestræ vindex quantum vno possum
 corpore: vel duce vel milite me, vt lubet, vtimini.
 Postquam secunda iræ verba secundis auribus audiue-
 re, ciues, dant ordine omneis fidem, se regiam iniuriã
 vlcisci paratos fore. Ita madentia recenti adhuc ho-
 stium cruore arma in Conradum vertunt. Nec ille diu
 sustinuit impetum ciuitatis vniuersæ fœdoq. agmine
 Ticinum trepidauit. Ibi reputans, ex ea se pulsum vr-
 be, cuius in auxilium ab domo profectus fuerat, origi-
 nemq. malorum penes Eriberrum esse, citari hominem
 iubet, ipsum & præcipuos alios belli concitores, Placen-
 tinū, & Cremonensem Episcopos, queis alij Vercellensē
 addidere. Atrocissimum quodq. facinus horū cōsilio ma-
 nibusq. patratū fuerat, & credinū est, Eriberti spiritus ac
 ferociã non minus horū instinctu, quàm Eliprandi sti-

1111111111

malis

mulis prouectā in ardua & prærupta, vbi pernitiē alijs ac prope sibi ipse inueniret. Itaq. conscij quid meruissent, cæteri metu, Eribertus etiam a speritate quadam, & elatione congressum abnuere, tergiuersari, varias obtendere moras vnanime consensu. Ea Ludificatione Cæsar offensus infesto exercitu, (& collegerat auxerariq. vires) Mediolanum venit, pœnas ab ingrata ciuitate persecuturus. Senferant Mediolanenses aduentum, statimq. cuncta tuendis vrbibus reperta militariter expediere, custodias, vigilias, tormenta, stationes. Rursus vnica spes Cæsari erat in obsidione, sed ea parū felix. Quippe dum intactis Cæsariani mœnibus adsident (& erat forte Theutonica colluies) interim nostri eruptione facta latè stragem dedere. Magnum inde facinus traditur Heliprādi, de quo viro sæpius antea est memoratum. Stolidi roboris Bauerus quidam erat in exercitu Theutonico, ferocissimus idem & natalium claritate, quod barbari plus quàm fortuitum bonum putāt, & quia non plura militaria decora quisquam alius ex illa multitudine recenseret. Hic insuper cede suorum irritatus forte quodam die probra in Mediolanenses iaciebat ex vallo; ac sublata quantum posset voce clamitans, ferrum & catenas, & alia captiuitatis mala minitabatur. Simul, diris execrationibus, & barbaro ritu se caputq. suum deuouet, nisi strata conculcet mœnia, & nisi hastam suam media victor vrbe defigar. Hęc vociferantem Heliprandus cū audisset, egreditur & prouocatum ad singulare certamen pugione confodit, obruncat deinde caput, idque lētus ad suos in Urbem refert, atque ob id patriæ pater appellatur. Hęc Helipradui

prandi gloria facinusque cælestes iras, & furorem impensius adhuc efferavit. Quicquid rectorum circa urbem erat, quicquid amœni ac sancti populatur, excindit, & quæ grauissima fuit clades, frequentes vicos intactos ad eam diem, neq. clausos vrbe vastat incendio. Ibi multos mortales clausis omnibus effugijs ignis absumpsit, pereuntiumq. clamores & eiulatus in vrbe auditi timorem fecere, ne iusta superum ira delerentur ad interuersionem. Propria dehinc in Heliprandum ipsum indignatione Cæsar accensus acerbissimis edictis eum insectatur, vt ipsi nobile Vicecomitum cognomen aboleretur, ne partem vllam publici muneris capefferet, & alia pari odio, quæ fluxa fuere, auctore decimum intra mensem extincto. Nunc exsequar mirabile dictu, quo Cæsar ab obsidione deterritus cum insano pauore Ticinum, atq. inde mœstissimus in Germaniam reuertit. Aderat forte quinquagesimæ diei celebritas nunquam sine sollennibus cæremonijs, & publica gratulatione transacta. Eo die litante Bruno Coloniensi Archiepiscopo Cæsar vna cum suis rei diuinæ operam dabat, cum vniuersæ concioni spectrum est oblatum, Ambrosius Mediolanensis Ecclesię parens truci vultu strictum gladium intentans. Scilicet omnibus inhorruit capillus. Cæsar verò non publicas eas sed intentas vni sibi minas, vt erant interpretatus, confestim ab ea recedendum vrbe putauit, quam superi quoque, non solum homines tuerentur. Is finis obsidioni, moxque Cæsaris vitę. Successit Henricus alter hoc nomine pace belloq. iuxtà memorandus, memorabilior ob initia cœnobitarū, qui semet ab re ipsa quòd

K k k k casibus

casibus aduersis depressi et afflicti forent, corrupta in barbarū voce humiliatos appellauere. Ordinis primordia in hunc modum perhibentur. Conradus cum caelesti attonitus viso discederet à mœnibus vrbis Mediolani, habuit in exercitu suo præcipuos ex ea nobilitate capita rerum, & insignes erga patriam fide, quos aut missos ad se legatos contra ius gentium interceptisset, aut iure belli captos in varios euentus pretia conditio- num in vinculis adseruaret. Hi quandiu Conradus vixit, obuersante perpetua mortis imagine nulla bona spe, destituti prorsus inter fortunæ minas, & relictī victoris arbitrio, vt ferme solent homines in aduersis rebus, animos ab omni mortali cura penitus ad Deum conuertere. Scilicet aut daturum cum ex turbido ac tristi tranquillum & serenum diem, finemq. captiuitatis, aut si vis ingrueret, melius utiq. morituros. Itaque non iam uti mancipia & serui, sed uti ciues angelorum cœlestem in medio squalore vitam agere, macerare corpus inedia, certatim in terga sæuire lorīs, & sese mutuis hortatibus ad vitam præclaro exitu decorandam incitare; demum si patriæ compotes fierent destinare claustra & solitudinem, & diuini obsequij commercium, ac simul nuncupare vota queis æternæ castimonie corpus obligarent. Ea dum agunt captiuei, mortuo, sicuti dictum est Conrado succedit Henricus, transitumq. rerum suis miserijs opportunum arbitrata Mediolanensem cohors, ad spem obtinendæ libertatis erigunt animum, & obtinere; constititq. fides voto. Namq. collatis in commune diuitijs, quas ingentes obtinebāt, institutisq. legibus ac disciplina quam sequerentur, nulla

nulla fuit mora quin coalescerent in vnius familiae corpus, daturi postea degenerem prolem, quæ Tragici sceleris exemplum foret. Hæc origo est Humiliatorum, qui voluentibus seculis intolerabilem ad superbiam cuecti, vnius facinore, totius ordinis excidium meruerunt. Verùm eius negotij seriem & ordinem expediam, si perfectis in quæ tetendi, curas in D. Caroli miracula, & æuum produxero. Nunc Eriberti tempora sunt repetenda. Henricus ad capeffenda solennia Imperij Mediolanum profectus in Ambrosiana Basilica diademate per Eribertum euincitur, idq. vltimum huic Episcopo pacis opus fuit. Mox discordijs ciuilibus inuoluitur, quarum haud videt finem, eaque tabes vrbi perniciosior accidit quàm externa mala, quàm infestæ Cæsaris iræ. Initium ortum ab superbia nobilitatis & plebis lasciuia solito partis vtriusque certamine dum alteri malunt iniurijs, quàm per beneficia suas opes exercere, alteris quanto minus virium inest, tantò promptius irritantur animi. Hæc vetustissima seditio- nibus materies, idq. commune ciuitatum omnium venenum rem Mediolanensem in extremum propè discrimen adduxit, cum iam ex diuturna Cæsaris infestatione reficeretur. Ac tanto funestius est dimicatum, quanto constantior, & instructior artibus atq. consilijs pars vtraque in suum exitium incubuit. Non enim temere, ac vti fores & impetus tulisset, egere, sed recte ac ordine per acies & duces, & per militaria meditata, multoq. rerum omnium prouisu sic vt non ruere, sed regi diceres, neque turbas eas, sed optime constitutos exercitus imperatorumque consensum.

ensum. Ab nobilitate pugnam ciebant, regcbantq. consilio rem primores ipsi, vt cuique plurimum authoritatis, & vsus. Plebs sibi præfecerat Lantionum Curcium, quo non alius ea tempestate promptior habebatur, siue manu opus foret, siue astutijs & dolo, quæ rebus turbatis sanæ artes habentur. Mox ille sibi Albericum Septariensem adiutorem participemque consiliorum assumit, virum haud minus acrem & violentum & expeditum ad omnia militaria exsequenda. His duobus ædes attributæ contra xl. Mart. Aed. quæstructura & munimento propè in arcis modum, late terrorem intentabant. Inde nocturnis per urbem excursionibus incendia passim fiebant, neque resistendo sufficiebat nobilitas, cum in parte deteriore maior numerus, plus audacis iræ, & II. Viri cæteris artibus exsuperarent. Omnino corpus erat immane, violentum, & quò magis inualescerent ipsa quoque cognominis vi, indiderant sibi titulum ab Ambrosiana fide quam Ambrosij credentiam inde seculum appellauit. Cùm his animis, & hoc apparatu Mediolani pugnaretur, duasq. ciuitates ex vna ciuile malum fecisset, pastoralis cura misere sollicitabat Eribertum effodiebatque pectus homini iam fessio annis, & ipsa casuum suorum varietate fœdus aspectus populi semet ipsum tumultantis continuato velut funere. Itaque tractare pacis vias, & experiri anxius omnia queis dirimere iras, dirimere acies, præcipitemq. patriam reuocare se posse confideret. Aliquando etiã dolore ac miseratione eò est prouectus, vt sese pugnantibus inferret, opposituque sacri corporis absterrere
furorem

furorẽ conaretur non parcens verbis, quæ sole essent desperationis vltimæ penitusque consternatæ mentis. Mea potius cæde imbuite manus. Melius peribo, quàm spectabo gregis internecionem. Pœnitentiam vestrâ interfectus accelerabo si nostræ nihil mouere preces possunt. Hæc, & alia pronunciata flebiliter ab Eriberto cùm vix ad aures peruenirent, insuperque periculû esset, ne quo ludibrio maiestas augustissima violaretur in tanta colluione ac tumultu, statuit Pontifex aliquò secedere vbi populi sui probra, & calamitates audiret potius quàm videret; eo consilio Modoetiam (opidum est decimo ab vrbe lapide) secessit, ibique medium se gerendo transitum sæuissimæ tempestatis irritus expectabat. Quippe seditionem & arma cædesque penitus imbiberant animis, nec ita furebant vt possent componi dictis & autoritate, quæ remedia esse mediocriter turbatorum solent. Iam Valuasores & Capitaneos præcipuæ inuidiæ nomina de quibus est dictum, exegerat vrbe victrix plebes, eoque successu (vt est vulgus immodicum) inflati turpiter & elati residuam nobilitatem sæuioribus adhuc exemplis infestabant. Et vertere solum pleriq. pertæsi quotidianas iniurias, deterrimi cuiusque ferociam, & quo nihil esse grauius solet, recentis potentia dominatum impotentem. Mox versa est partium fortuna ictoque cum Serprienfibus ac Marthelanis fædere Valuasores inualere. Simul ipsa recruduit seditio nactaque vires ira & dolor nihil reliqui fecit, quo semet dulcedine vltionis exsatiaret. Primùm omnium ad urbem progressi cum exercitu non contemnendo Valuasores, & Capitanei cæteraque.

ceteraq. in partem expeditionis assumptæ cohortes
 in cœnibus institere, isque terror ita perturbauit inclu-
 sos, vt veluti amentes ac lymphati trepidarent magis,
 quàm consulerent. Dein operibus haud vno loco stru-
 ctis ruina patefaciebant iter, ac late inferebant damna.
 Sed nihil æque quàm inopia comœtus fatigabat, cõ-
 sumptis iam omnibus ex ante præparato, & nulla im-
 portandi facultate. Ita tot repente circumuenta malis
 plebes, vt nuper immodica secundis rebus, sic aduer-
 sis dimissa ad seruitium infimasq. preces, Cæsaris im-
 plorat opem. Missi in eam legationem Lanzonus, &
 Albericus præcipui calamitatem authores nihil auxi-
 liorum in præsentia, dubium in posterum ancepsq. re-
 sponsum tulere. Si quatuordecim millia Germanorũ
 admittere in urbem velint, benigne ipsis & suppetias,
 & alia omnia præbitum iri, sin recusent, Cæsari quo-
 que satis esse negotij domi, & æquum esse ipsum con-
 sulere rebus suis prius quàm externis immisceatur, se
 tamen vt grauissimis expedirent malis ciuitatem, in
 ea obstrinxisse fidem Cæsari, & iurasse præsidium intra
 urbem accepturos. Ea renunciata legatione Lanzo-
 nus, & Albericus in magna gloria esse, tolli laudibus in
 cælum, quia consensum ciuitatis anteuertissent pruden-
 tia consilioq. suo neq. publica commoda morati essent
 hæsitacione, quæ magni discriminis rebus ferme esset
 inimica. Ita ad accipiendos intro Cæsarianos inclina-
 bant. Mox consilium iramutauere liberrimaq. indi-
 gnatio animos in Germanicum nomen inflammauit.
 Quid enim properarent iugum accipere, quid sibi bar-
 baricam mediam immiscere? prorsus id agi, vt per præ-
 sidij

fidij speciem premantur eterno seruitio tentationemq.
eam esse libertatis abolendæ. quorsum atinuisset sumi
arma contra nobilitatem, si externum imperium ad-
mittatur? venirent barbari appeterentq. dominatum
opulentissimæ ciuitatis, profecto si sit animis vigor, &
si quid antiqui spiritus retineant omiſſa ciuili discor-
dia conspiraturos ad defensionem eius libertatis, quam
à maioribus accepissent. Ita inter se pacem fecere, quæ
nō fuit diuturna, mortuo interim Hereberto, & nobili-
tate coorta rursus in plebem. In ea dissensione, pars
vtraque dare vbi volebat Archiepiscopum, atque pro-
ducebant, nobiles quidem Vidonem Valuasorium,
populares, quatuor Ecclesiæ Mediolanensis Canoni-
cos, qui tunc splendido nomine Cardinales vo-
cabantur. Henricus ea nominis dignitate
contempta, Vidonem antetulit, isque
renuntiatus Archiepiscopus an-
no post Ereberti mortem
primo, qui salutis
humanæ mil-
lesimus
quadagesimus quartus
erat.

hinc speciem prestantem...
 cum esse libere ab oblat...
 antea contra nobilitatem...
 puerorum; videntes pariter...
 opulentiam & claritatem...
 hinc quidem fortiter...
 illi conquirentes ad detractionem...
 hinc fortiter recipiunt...
 non fortiter in morte...
 tunc contra tristes in plebem...
 ut patet dicitur voluit...
 ducuntur & nobiles quidem...
 populares & paucos...
 eos, qui tunc splendore...
 capiantur, tunc etiam...
 comendat, videtur...
 remanens Archiepiscopus...
 no post Episcopum monachum
 primo, qui salus
 humanis mil-
 lesimas
 quadragesimas pariter
 cas.